Zu der

öffentlichen Prüfung

sämmtlicher Klassen des Elisabetanischen Gymnasiums,

welche

Montags und Dienstags, den 14. und 15. März, vollzogen werden soll,

und zur Anhörung

der

den 16. März zu haltenden Reden

ladet

die Beschützer, Gönner und Freunde des Gymnasiums
und des Schulwesens

ehrerbietigst ein

der

Rector

Dr. Samuel Gottfried Reiche,

Ritter des rothen Adlerordens dritter Klasse m. d. S.

Inhalt:

I. De ab praepositionis usu plautino, scripsit Dr. C. F. Kampmann. II. Jahresbericht.

Breslau, 1842.
Gedruckt bei Grass, Barth & Comp.

Ab praepositionis usus in Plautinis fabulis ita est absolutus et conformatus, ut prope totum, quem apud posteriores scriptores ea praepositio obtinet ambitum, repraesentet. Itaque nobis non inutile visum est omnia huius particulae exempla colligere, ratione quadam digerere, quae dubia viderentur accuratius investigare in eaque re aliquam si fieri posset opem ferre scriptori, studio curaque interpretum non modo dignissimo, sed et multum prae aliis scriptoribus neglecto et saepe male tractato. Iisdem autem subsidiis criticis usus sum, quae ante hos tres annos in libello scholastico nostri Gymnasii indicavi.

Ab praepositio eam habet vim, ut locum aut rem, unde aliquid moveatur, indicet; res illa, quae movetur, vel motus ipse aut cerni potest aut cogitari tantum; dicitur autem cogitato illo motu, ubi quid exit, initium capit, proficiscitur, oritur. In motu illo sive vero sive cogitato alterum quoque necessarium est, ut locus designetur aut intelligatur certe, in quo motus desinat, quod fit *ad* praepositione; aut omnino id tantum agitur, ut res aliqua ab aliquo loco removeatur et pellatur, nulla loci ad quem perveniendum sit ratione habita. Hinc fit ut varius et multiplex sit usus huius praepositionis.

I. *Ab* significat proficisci aliquid ab aliquo loco et pervenire ad alterum locum sive disertis verbis indicatum sive intelligendum.

1. Coniungitur igitur cum notionibus *veniendi, redeundi, ferendi, mittendi, portandi, nunciandi*: *Nunc eas ab saxo fluctus ad terram ferunt,* Rud. pr. 76. *Ab saxo avortit fluctus ad littus scapham*, Rud. 1, 2, 76. *ab ero ad erum — venio*, Pseud. 5, 1, 36. *Si tu obiurgans me a peccatis rapis deteriorem in viam*, Trin. 3, 2, 54. *ab asinis ad boves transcendere* (i. e. ab inferiore ordine ad nobiliores transire), Aul. 2, 2, 58. *Amphitruo veniet huc ab exercitu*, Amph. pr. 140. *A portu illic — advĕnit*, ib. 149. *Nunc intervisi, iamne a p. advenerit*, Stich. 3, 2, 3. *a p. ire nos cum auro vident*, Bacch. 2, 3, 70. *eccum Tranio a p. redit*, Most. 2, 1, 16. *) *Iam a p. rediisse potuit*, ib. 3, 4, 9. *Sed quid currentem servom a p. conspicor*, Merc. 1, 1, 8. *ita celeri curriculo fui Propere a p.*, Stich. 2, 2, 14. *Me a p. praemisit domum*, Amph. 1, 1, 40. cf. 2, 1, 55. *tantum ego nunc porto a p. tibi boni*, Cap. 4, 2, 89. *tibi équidem a p. apporto hoc*, Merc. 1, 2, 49. *Tantum á p. apporto boni, tam gaudium affero grande*, Stich. 2, 1, 23. (tribus his locis nuncius intelligendus est.) *qui adest a milite* (i. e. qui advenit a milite; sed etiam illa notio inesse potest, illum hominem pertinere ad familiam militis, de quo infra), Pseud. 4, 1, 17. *Non*

*) Videtur aliquid excidisse, nam initium trochaici septenarii *Adest obsonium* haud dubie corruptum. Weisius veteres secutus editiones *Tranionem* scripsit cum distinctione minore et hiatu; vix vere.

sécus est, quam si ab Acheronte veniam, Amph. 5, 1, 26. [1]) *tandem vix ab aegrotis venit*, Men. 5, 3, 8. *A matre illius venio*, Men. 4, 7, 16. *a matre et sorore venit*, ib. 4, 8, 3. *modo Qui a patre advenit Carysto*, Pseud. 2, 4, 40. *Quasi ad adulescentem a patre ex Seleucia Veniat*, Trin. 3, 3, 41. *haec* (oves) *eunt sic a pecú balitántes*, Bacch. 5, 2, 5. (cf. Ritschl.) *quom a foro redeam domum*, Aul. 2, 3, 6. *si a f. ipsus redierit*, ib. 2, 6, 7. *incedit a f.*, ib. 3, 4, 14. *amator si a f. rediit domum*, Cas. 3, 4, 1. *a f. incedo domum*, Most. 4, 3, 6. *cum extemplo a f. adveniat domum*, Mil. 2, 6, 95. *c. e. a f. veniemus*, ib. 3, 3, 59. *iam hercle ego erum adducam a f.*, ib. 3, 2, 44. *cum ego a f. revortor*, Pseud. 1, 2, 30. *Metuo autem ne erus redeat etiam dum a f.*, ib. 4, 3, 11. *dum erus adveniat a f., opperiar domi*, Poen. 4, 2, 107. [2]) *abeo ab illo moestus ad forum*, Curc. 2, 3, 57. *Quam mox horsum ad stabulum iunix recipiat se a pabulo*, Mil. 2, 3, 33. *ab navi clauculum huc alia via Praecucurristi*, Amph. 2, 2, 163. [3]) *Quid, si adduco tuum cognatum húc a navi Naucratem*, ib. 219. *ego huc ab navi mecum adducam N.*, ib. 224. *sibi — alteram* (mulierem) *ab legione adduxit*, Epid. 1, 1, 83. (cf. libr. schol. gymn. Elis. 1839. not. 11.) *a navi huc evoca*, Amph. 3, 3, 12. *Iam hic, credo, aderit: arcessivit illam a navi. D. nil mi opust Litibus*, Pers. 4, 3, 61. [4]) — *Numnam it a balneis circumductus pallio*, Poen. 5, 2, 16. [5]) *lautum credo a balineis Iam hic affuturum*, Pers. 1, 3, 10. [6]) *rediit a coena domum*, Most. 2, 2, 54. *cum ab re divina rediero*, Poen. 1, 2, 193. *mulieres Iam ab re divina, credo, apparebunt domi*, ib. 3, 3, 4. (Videtur quidem in postremis his quinque exemplis *ab* pro temporali *post* dictum esse et sunt qui hunc huius praepositionis usum iam Plauto tribuant; sed ex his exemplis non poterit id demonstrari, nam *balineae, coena, res divina* nihil indicant nisi locum, in quo illae res inveniuntur, vom Bade, vom Mahle, vom Opfer. Fatendum tamen est facilem fuisse insequentibus scriptoribus transitum in meram temporis notionem.) — *ab hipprodomo* — (vidi) *filiam nostram sustollere*, Cist. 2, 3, 7. [7]) *hinc ab ostio iacentem* (cistellam) *sustuli*, ib. 4, 1, 7. *Nam mihi ab hippodromo memini afferri parvolam*, ib. 2, 3, 10. *Quasique anulum hunc ancillula tua abs te detulerit ad me*, Mil. 3, 3, 38. *Nam hunc anulum ab tui cupiente hac detuli huic*, ib. 4, 2, 58. *Seque* (dicat) *aurum ferre virgini dotem a patre*, Trin. 3, 3, 48. *Censebit aurum esse a patre allatum tibi*, ib. 55. *quasi qui aurum mihi Ferret abs te — ut filius Tuus, quando illi a me darem, esse allatum id abs te crederet*, ib. 5, 2, 19 sq. *domum haec ab*

---

1) *Δ*p *quasi* pro *qaam* et *Acheronte* etiam Pall. pro vulg. *Acherunte.*

2) Vulg. *advenit* h. d. operarum errore.

3) Vulg. *Praecurristi* contra L. Pr. Par.

4) Vulg. *arcessit*, sed *ΔΘ*ps, L. Pr. Par. *arcessivit.*

5) *Mss. Pall.* Parei *Nunnam in a balineis*, *Θ*s *inabaliniis*, L. *in aballinis;* Both. et W. cum ed. pr. et Ven. *Numnam a balineis* f. recte, sed potest etiam scribi *Num it a balineis.* — *Circumducere* i. e. fraudare, fraude spoliare, ablativum rei adiunctum habet, ut reliqua eiusdem notionis verba; cf. Bacch. 2, 3, 77. 5, 2, 64. Pseud. 1, 5, 115. 2, 2, 39. Poen. 5, 2, 16. 5, 5, 8. Trin. 4, 2, 17. 117. Truc. 4, 4, 21.; *circumvortere*, Pseud. 1, 5, 127.; *intervortere*, Pseud. 3, 2, 110. Rud. 5, 3, 44.; *tangere*, Poen. pr. 101. 5, 5, 7., quin etiam *interficere* eadem ratione dicitur Truc. 2, 6, 37. *Salve, qui me interfecisti paene et vita et lumine.*

6) Vulg. *balneis*, sed *Mss.* Parei *balinencis*, *Θ*s *balieneis*, L. *balienis*, Princ. Par. *balineis.*

7) F. rectius *nostram filiam.* Ibid. 1, 2, 5. de eadem re dixerat *ex angiportu sustuli.*

aede Veneris refero vasa, Poen. 4, 2, 25. *Ut illud reportes aurum ab Theotimo domum*, Bacch. 2, 3, 92. *A legione omnes remissi sunt domum Thebis*, Epid. 2, 2, 22. *a viro ad me rus advenit nuncius*, Merc. 4, 1, 1. *Si a viro tibi forte veniat nuncius, facito ut sciam*, Stich. 1, 2, 91. *Egon' ut quod ab illo attigisset nuncius, Non impetratum id advenienti ei redderem*, Bacch. 2, 2, 19 sq. *si a me tetigit nuncius* (i. e. si nuncius meus ad eum pervenit), ib. 3, 5, 3. *egon' ut ad te ab libertina esse auderem internuncius*, Mil. 4, 1, 16. *Salutem tibi ab sodali solidam nuncio*, Bacch. 2, 2, 10. *ab legione epistulas Mittebat*, Epid. 1, 1, 56.[1]) *allatae tabellae sunt ad eam a Stratippocle*, Epid. 2, 2, 66. *Quas attulisti ab ero meo usque e Persia*, Pers. 4, 1, 13. *e Persia ad me allatae modo sunt istae a meo domino*, ib. 4, 3, 28. *eas nos consignemus, quasi sint a patre*, Trin. 3, 3, 45. *qui* (symbolus) *a milite allatust modo*, Pseud. 2, 4, 27. — Interdum pronomina personalia pro domo, in qua quis habitat, collocantur: *ab se ecca exit*, (i. e. e domo sua), Men. 1, 2, 66. *Sed qui hinc nam a nobis exit?* Merc. 4, 2, 8. *quando exierit Sceledrus a nobis*, Mil. 2, 6, 44. *Sed nimium pol opportune ecce ab sese egreditur foras*, Truc. 4, 3, 78.[2]) *Scin' tu nullum commeatum hinc esse a nobis*, Mil. 2, 3, 68. *dum ab se huc transiret*, ib. 3, 2, 55. *Cadum modo hinc a me huc cum vino transferam*, Stich. 5, 1, 7.

2. *Ab* sequente aut cogitato certe *ad* perpetuitatem quandam motus indicat et omnia quae inter summas extremitates spatii posita sunt, comprehendit; addita *usque* particula planius etiam eam continuationem exprimit: *Usque ab unguiculo ad capillum summum est festivissuma*, Epid. 5, 1, 17. *Interminatus est a minimo ad maxumum*, Pseud. 3, 1, 10. *Hospes, volo ego hanc percontari. S. a terra ad coelum, quid lubet*, Pers. 4, 4, 54. *nam pudicum neminem Esse oportet, qui abs terra ad coelum pervenerit*, Trin. 4, 2, 105.[3]) *Si hercle ego te non elinguandam dedero usque ab radicibus*, Aul. 2, 2, 72. *Qui a fundamento mi usque movisti mare*, Rud. 2, 6, 55. *Quodsi exquiratur usque ab stirpe auctoritas*, Trin. 1, 2, 180.

3. Motus alicuius rei aut actionis fit certa quadam regione et via, ita ut nonnunquam ordo quidam et series rerum describatur, aut nulla, ut videtur, motus ratione habita locus significetur, quo quid sit, fiat. Sed re vera motus quidam est cogitandus; nam qui nobis *ab laeva est*, eius imago quasi proficiscitur ad oculos nostros; qui *ab dextera cantat*, eius vox ad aures nostras pervenit: *Maxumum periclum inde esse, ab summo ne rursum cadas*, Mil. 4, 4, 15.[4]) *ambo* (postes) *ab infimo tarmes secat.*, Most 3, 2, 140. *Da, puere, ab summo; age tu interibi ab infimo da savium*, As. 5, 2, 41. *Interim da ab Delphio cito*

---

1) Vulg. *epistolas*, sed in Pall. plerumque *u* littera scribi hoc vocabulum, a Pareo indicatum inveni.

2) ΔΘps et Pr. *oportuna ecce ab se*; Both. olim *opportune eapse eccam egr, f.*, in recentissima ed. trium fabularum: *Pseudoli, Rudentis, Truculenti*, a. 1840: *opportunad ecce eapse egr. f.*; Goell. et W. ut vulg. *sese*.

3) Ita vulg.; *hominem* post *oportet* addidit Herm.; Δp *Pre op.*, Θps....*ere op.*, non ut Lind. refert *ero op.* Hinc Lind. *Perhibere hominem op.* Weisius hiatum in *qui* et *terra* admisit. Ad vestigia codd. Pall. proxime fortasse accedet *Se praebere oportet*; vix vero *hominem* eruetur, neque necessarium est.

4) Vulg. *periculum*; Θs et Par. *ab* pro vulg. *a*.

cantharum circum, Most. 1, 4, 33. *A summo septenis cyathis committe hos ludos*, Pers. 5, 1, 19. *Septimas esse aedis a porta* (dixit), Pseud. 2, 2, 3. *hoc est sextum a porta proxumum Angiportum*, ib. 4, 2, 5. — *ab dextera — involant*, Amph. 1, 1, 89. *Picus et cornix est ab laeva, corvus porro ab dextera*, As. 2, 1, 12. *corvos cantat mihi nunc ab laeva manu*, Aul. 4, 3, 1. *utrum hac me feriam an ab laeva latus*, Cist. 3, 10. *Ita illa me ab laeva rabiosa foemina observat canis*, Men. 5, 2, 84. *Sed speculabor, ne quis aut hinc a laeva aut a dextera — venator assit*, Mil. 3, 1, 13 sq. *Sed foris concrepuit hinc a vicino sene*, Mil. 2, 1, 76. *ab humero qui te tenet* (i. e. ab humero quasi comprehensio totius hominis proficiscitur, an der Sch.), Men. 5, 7, 22. *Omnia ego istaec auscultavi ab ostio*, Merc. 2, 4, 9. (h. l. invertitur loci descriptio, non enim *ab ostio* motus est cogitandus, sed ab alio loco *ad ostium*; est igitur eadem loci descripti ratio, quae in superioribus exemplis.) *Omnia istaec ego fácile patior, dum hic* (vidulus) *hinc a me sentiat* (i. e. a meis partibus sit, mecum sentiat), Rud. 4, 4, 56.

4. Omissa, ut videtur, motus notione *ab* ad alias res transfertur rationemque indicat, qua quid rei alicui tribuatur. Sed etiam in hoc translato usu re vera motus aliquis cogitari potest; nam si quis *ab animo dolet* aut *ab re familiari perit*, initium et origo indicatur, unde dolor aut interitus proficiscatur, qua in re primariam habeat uterque sedem: *Ain' tu te valere? E. pol ego haud perbene a pecunia*, Aul. 2, 2, 9. [1]) *Ut innoxium abs te atque abs tuis me irrideas*, ib. 44. *Tam a me pudica est, quasi soror mea sit*, Curc. 1, 1, 51. *Doleo ab animo, doleo ab oculis, doleo ab aegritudine*, Cist. 1, 1, 62. *a morbo valui, ab animo aeger fui*, Epid. 1, 2, 26. *Hircum ab alis* (sc. sapit), Pseud. 2, 4, 48. *Bis perit amator, ab re atque ab animo simul*, Truc. 1, 1, 26. [2]) *ab animo perit*, ib. 28. *Nam quando sterilis est amator a datis*, ib. 2, 1, 30. [3]) *tamen ab ingenio improbust*, ib. 4, 3, 59. [4])

---

[1]) Vulg. *a pecunia perbene*, quod emendatum a Bothio et receptum a Weisio praeferendum videtur propter vitatam molestam synizesin.

[2]) Vulg. *periit* et *atque animo*; emendavit Herm. el. d. m. p. 132., recepit Goell., quod miror Bothium alias hiatus evitandi studiosissimum non esse secutum.

[3]) Totus locus, de quo agitur, in vulg. Gronovii inde a v. 30. ita legitur:

Nam quando sterilis est amator a datis, improbus est.
Si negat se habere quod det, soli pernoctandum est.
Nec satis accipimus, satis cum quod det, non habet.
Semper datores novos oportet quaerere,
Qui de thesauris integris demunt, danunt.

v. 30. *a* omissum est in Θs et facile omitti potuit, quia in *amator* versus desinit et novus a *Datis* incipit; num desit etiam in Δ, non satis liquet ex Parei adnotatione, quanquam si litterarum formis, quibus usus est Pareus in ipsa fabula describenda, confidendum est, in illo codice apparere praepositionem suspicari licet. At post *datis* in Δp lacuna est, item vs. seq. post *soli*. Quibus lacunae indiciis commoti editores addiderunt primo versu *improbus est*, altero *pernoctandum est*, utroque versu pessumdato. Ac primum quidem, ut de numeris dicamus, non omnibus editoribus ita perspicua res videtur esse, ut non in diversa abeant. Vulgata omnino corruptos exhibet numeros priorum duorum versuum; Goell. Weis. Rostius inde a v. 30 usque ad v. 39. trimetros statuunt; Both. in recentissima editione (1, 2, 139 sqq.) duos iambicos octonarios praecedentibus septenariis adiunxit:

5. Eadem, quam in loco fieri diximus (cf. 2.) motus perpetuitatem, ad tempus transfertur indicatque *ab* praepositio incipere aliquam actionem a certo quodam tempore et pergere usque ad aliud certum tempus aut ipsa *ad* praepositione accuratius definitum aut certe cogitatione definiendum. Etiam hoc loco *usque* saepe additur. Non minus, ut *ab* praeposi-

Nam quando sterilis est amator, satis si habere se negat,
Quod det, satin' nec satis accipimus, satis quum, quod det, non habet?

tum demum senarios; v. 29. Both. et W. colo distingunnt a v. 30; v. 32 a v. 33. distinctione maxima etiam Goell. Nexum totius loci solus perspexit Rostius in vertenda hac fabula. Is enim distinctione maxima in fine v. 29. servata proxime sequentes quinque versus uno ambitu comprehendit sententiasque aptissime coniunxit ita: Quando amator opibus est spoliatus nec iam habet quod det nec nos propter id ipsum satis accipimus: novos nos oportet circumspicere datores. Quod ut accuratius perspiciatur, ipsa eius verba h. l. transcribam:

Denn wenn der Buhler unfruchtbar an Gaben ist
Und sagt, er habe nichts zu geben, und wir nicht
Genug erhalten, weil er nicht genug geben kann;
So müssen wir stets neue Geber suchen, die
Wegnehmen und wegschenken aus dem vollen Schatz.

Ex hoc tam arcto sententiarum nexu necessario sequitur, numeros quoque eosdem esse debere, quum variationis causa non inveniatur. Vv. 26—29. vividior quidam est color sermonis; mulier enim mulieres adversus criminationes virorum studiose defendit; iam a v. 30. sedatiore sermone causas defensionis proponit, cur iniuria viri querantur de mulieribus. Quae igitur causa mutati numeri in v. 30. erat, ea non est in sequentibus. Iam ut ad singula transeamus, plura sunt de quibus disceptare liceat; versu enim 29. vulgo *Neque pól satis accépimus neque úlla satis popóscit* legitur corruptis numeris, tamen servavit Goell.; W. *Neque pól nos sátis acc.*, Both. *Neque pól accépimús satis;* possumus addere *Neque édepol satis accépimus*, nam *edepol* et *pol* non raro miscentur a librariis. V. 31. summam parat difficultatem vox *soli* cum manifesta lacuna; W. lacunae signa et hoc versu et v. 30. servavit, ubi vulgo illata sunt *pernoctandum est* et *improbus est*. Goellerus omissis his additamentis etiam *soli* eiecit et ita v. 31 sq. scripsit:

Si sátis negat se habére quod det, néc satis
Accépimus, satis cum quod det, nón habet.

quod quantum a vero aberreat nec tamen per numeros commendari possit, non opus est pluribus ostendere; nulla enim est causa cur *accipimus* in *accepimus* mutetur, nec unde mirabile illud vocabulum *soli* irrepserit explicatur. Fortasse servandum est *soli*, ita ut sententia quaedam adnectatur, quae cum reliquis apte coniungi possit numerosque expleat; ad tempus nihil melius in mentem venit quam *soli ut sit sibi* i. e. ut solus amicam habeat reliquis amatoribus pulsis. Eiusmodi conditionem plerumque dictam esse amicae ab amatore et rei naturae consentaneum est et, si Plautino probandum est exemplo, satis luculenter apparet ex Asin. 4, 1; tota enim scena versuum sexaginta quattuor leges perscribit, quae ab amatore acerrimis amoris stimulis agitato amicae dicuntur. Hoc autem loco non est sermo de amatore omnino removendo, in cuius locum novus recipiatur, sed qui, postquam bona sua omnia amicae donavit, propter magnam in qua est apud amicam gratia *consiliarii* certe amici munus retinet (cf. v. 5 sq.); eum par est pati ab amica alium etsi non amatorem, at *datorem* tamen bonorum eligi. V. 33. vulgatus verborum ordo intactus est relinquendus; temere transposuit Both. *Novós datores sémper* pro *S. d. n.*, quippe quum *novos* monosyllabum sit, Bothiana autem transpositione caesura laedatur. V. 34. dubitatio est de *demunt* vocabulo; *Mss.* enim Parei, *Θs demus;* Pr. *dona,* Both. *domuis;* videtur vulgata servanda esse.

4) Vulg. *est imprŏbus*; *ΔΘps timidus est improbus*, quod unde sit explicandum non habeo. Sine causa Both. hunc versum octonarium trochaicum fecit: *támen ab ingenió̆d is malus est.*

tione locum universum descriptum vidimus (cf. 3.), quo quid sit aut fiat, etiam tempus universum quo quid factum sit constituitur. Nec deest ratio huic rei; nam qui exempli causa dicit *dudum dixi a principio tibi*, motum quendam et perpetuitatem sermonis cogitandam mentibus nostris proponit, in qua singulae quaedam res altera alteram excipiunt, ita ut quasi decurrant spatio quodam et in altera re initium habeant, in altera desinant. Eius rei exempla haec reperiuntur: *vivunt ab saeclo ad saeclum*, Mil. 4, 2, 87. [1]) *Haec illic est pugnáta pugna úsque a mane ad vesperum*, Amph. 1, 1, 97. *Sol semper hic est usque a mane ad vesperum*, Most. 3, 2, 80. [2]) *supplicium — datur Longum diutinumque a mane ad vesperum*, Mil. 2, 6, 23. *A mane ad noctem usque in foro dego diem*, Most. 3, 1, 3. *usque ab aúrora ad hóc quod diéi est — nunquám concessámus*, Poen. 1, 2, 8 sq. *is mecum a puero puer — educatust usque ad adulescentiam*, Capt. 5, 3, 14 sq. *Semper ego usque ad hanc aetatem ab ineunte adulescentia — servivi*, Trin. 2, 2, 20. — *Tu usque a puero servitutem servivisti*, Capt. 3, 4, 12. *quicum una a puero aetatem exegeram*, ib. 3, 5, 62. *Philocrates iam inde usque amicus fuit mihi a puero puer*, 3, 4, 112. *qui olim a puero parvulo Mihi paedagogus fuerat*, Merc. 1, 1, 89. [3]) *Quia inde iam á pauxillo púero ridiculús fui*, Stich. 1, 3, 21. [4]) *Hi senes, ni fuissent nihili iam inde ab adulescentia*, Bacch. gr. 1. *Qui homo cum animo inde áb ineunte aetáte depugnát suo*, Trin. 2, 2, 24. *Ante lucem si ire occipias a meo primo nomine*, ib. 4, 2, 43. [5]) *Ain', aúdivisti? E. úsque a principio omnia*, Aul. 3, 6, 2. [6]) *Ut vos mi esse aequos iam inde a pr. sciam*, Cas. pr. 4. *Inde a pr. iam impudens epistula est*, Bacch. 4, 9, 83. *iam inde a pr. probi* (sunt), Pseud. 4, 2, 14. — *dudum dixi a pr. tibi*, Capt. 3, 4, 91. *Utinam a pr. rei item parsissem meae*, Truc. 2, 4, 24. *Salutem primum iam a pr. propitiam — nuncio*, Men. pr. 1 sq. *multum*

---

1) Vulg. *a seculo*, cf. libr. schol. supra all. p. 27; *Mss.* Parei *ab satio*.

2) Vulg. *mani*, sed *ΔΘps mane* a m. pr., *Δp vesperum*, *Θp vesperem* a m. pr., *am* a m. sec., *Θs am* a m. pr., *um* a m. sec.

3) Θs om. *a*, sed reliqui tuentur.

4) *Quia inde iam a* in fines unius iambi includenda sunt; quod etsi horribile visu est, tamen singulorum per se vocabulorum ratione habita prosodiae quidem legibus non esse contrarium ostendi potest. Nam *quia* interdum totum elidi aut ante consonantem pro monosyllabo vocabulo habendum esse ut evitetur proceleusmaticus pro trochaeo, certum videtur, velut Capt. 1, 1, 2. *Eo quia invocatus soleo esse in convivio*; Most. 5, 1, 67. *Exempla edepol fáciam ego in te. Tr. quia placeo, exemplum éxpetis.* *Inde* particulam in principiis versuum aliquoties corripi non opus est exemplis probare; illa igitur verba unum anapaestum efficiunt ubivis pro iambo obvium. Nihilominus tamen displicet coniuncta uno loco tanta correptionum copia videturque nobis *inde* delendum esse. Brixius V. D. in Quaestionibus de Plauti et Terentii Prosodia, Vrat. 1841. p. 20. not. **) cum Acidalio *puero* delendum censet aut *iam* ut saepius ab interpretibus additum. Sed si reliqua huius locutionis exempla respicio, non audeo *puero* delendum censere; de *inde* et *iam* dubitatio esse potest; itaque emendatio incerta.

5) Vulg. *Si ante lucem*; emendavit Herm.

6) Ita recte clauditur versus, ut insequens sit versus: *M. Tamen méo quidem animo aliquanto facias réctius* pro vulg. *M. tamen* | *E méo —*; nam *ex* praepositionem h. l. omnino contra usum Plautinum esse alias ostendam.

improbiores sunt quam a primo credidi, Most. 3, 2, 139. *dudum a mane ut ad portum processimus*, Poen. 3, 3, 37. [1])

6. Proficisci ita aliquid ab aliquo loco potest, ut ex *possessione* unius in alterius possessionem transeat, deveniat, nec quicquam interest, utrum possessio parta vi et dolo an petita et impetrata sit. Notissimum est illud: *a patre ei (ad eum) hereditas magna venit*, in quo motus ipse et transitus manifesto ostenditur; sed id ipsum etiam Plautina exempla proponunt: *quomodo ad hunc devenerim In servitutem ab eo, quoi servivi prius*, Mil. 2, 1, 19. *dixi equidem tibi, unde ad me hic* (anulus) *pervenerit*, Curc. 5, 2, 10. nonnullaque alia quae ad usum *ad* praepositionis pertinent. Itaque coniungitur *ab* cum verbis *abducere*, *auferre*, *surripere*, *petere*, *orare*, *impetrare*, *sumere*, *accipere*, *habere*, *esse*, similibus. — *Gratiis a me, ut sit liber, abducito*, Capt. 5, 1, 28. [2]) *daret Operam, ut mulierem a lenone — abduceret*, Curc. 2, 3, 69. [3]) *quam* (virginem) *ab lenone abduxti hodie*, ib. 5, 2, 16. *Mulierem a lenone abducat*, Pseud. 2, 4, 64. *nam ubi ego argentum accepero, Continuo tu illam a lenone asserito manu. S. Sibi habeat, si non extemplo ab eo abduxero*, Pers. 1, 3, 82 sqq. (i. e. e lenonis potestate in libertatem vindicare rursumque in paternam reducere potestatem.) *per fallaciam — abduxit ab lenone mulierem*, As. 1, 1, 55 (promisit) *Sese abducturum a me dolis Phoenicium*, Pseud. 3, 2, 112. *libet — Pseudolum — abducere a me mulierem fallaciis*, ib. 4, 5, 4. *Quia nunquam a me abducet mulierem iam nec potest*, ib. 4, 6, 26. [4]) *ut a me mulierem tu abduceres*, ib. 4, 7, 56 [5]) *ut fallaciis hinc mulierem a me abduceres*, ib. 97. [6]) *ab hoc lenone vicino tuo Per sycophantiam atque per doctos dolos Tibicinam illam, tuus quam gnatus deperit, Ea circumducam lepide lenonem*, Pseud. 1, 5, 112 sqq. (cogitabat initio scriptor *abducam*, tum propter interposita mutavit in *circumducam*.)

---

[1]) Vulg. *mani* contra ΔΘps, L. Pr.

[2]) Vulg. *Gratis*, de quo vide Lind.; idem numerorum causa *ducito* scripsit, f. recte; sed potest etiam *abduce* legi. Δp et Pal. 1. 4. 6. *aducito*, Pal. 2. *adducito*, Pal. 3. 5. *abducito*.

[3]) Vulg. *operam* | *Vt* — iam alii emendaverunt.

[4]) Ita vulg. legitur, sed numeris corruptis. *Mss.* Parei Θs, L., ed. pr. recte certe *a me* quod scripsimus pro vulg. *ab me*; qui sequitur versus *Meministine tibi me dudum dicere*, si cum Θs, L. ed. pr. *Meministin'* scribitur, integro pede caret; si vulgata servatur, omnino nullos habemus numeros; Pareus etiam *me* omisit, num errore an consilio auctoritate codd. motus, non liquet; non potest vero omitti, et servant Θs, L. Pr. Weisius *ab me* ad initium v. 27. transtulit; sed is ordo verborum, quo *ab me* ad finem sententiae reiicitur, et insuavissimus *mulierem* vocabuli ictus elisionumque ingrata cumulatio non esse ea ratione sanatum versum docent. Bothius: *Quia nunquam mulierem a me abducet, nec potest, Iam. Meministine* — qua emendatione etsi numeri prioris certe versus vere Plautini redditi videntur, tamen illud *Iam* in initio v. 27. sequente distinctione maxima collocatum, quod pertineat ad praecedentis versus verba *a me abducet*, prohibet ne locum iam emendatum censeamus. Sed difficile est in re tam incerta aliquid certi proferre; priorem versum recte a Bothio restitutum puto, alterum sic scripserim: *Non meministi tu tibi me dudum dicere*.

[5]) *Tu* vulg. abest, sed exstat in Parei ed.; etiam Both. et W. addiderunt ex Θs. Quod in fine versus legitur *HA. ita*, ad versum seq. pertinet, in quo *ne* in *Phoenicium* delendum cum Θps; idem Both. emendavit.

[6]) Vulg. *a me mul.* contra Pareum; sed etiam Θs, L. Pr. vulg. exhibent ordinem et Θs praeterea *a* omittit. Both. propter praecedentia *qui te hanc fallaciam Docuit* suspicatur legendum: *ut fabricis hinc a*

— *Ipsi — mihi dant viam, quo pacto ab se argentum auferam*, Epid. 2, 2, 9. *Sycophantias componit, aurum ut abs te auferat*, Bacch. 4, 4, 88. *ecquas viginti minas Per sycophantiam atque per doctos dolos Paritas ut auferas a me? Ps. abs te ego auferam?* Pseud. 1, 5, 69 sqq. *Quo pacto ab lenone auferam hoc argentum*, Pers. 2, 5, 25. *Meo malo a mala abstuli* (pallam), Men. 1, 2, 24. *ab Hippolyta succingulum Hercules haud aeque magno unquam abstulit periculo*, ib. 1, 3, 17 sq. *Iube sibi aurum atque ornamenta, quae illi instruxti mulieri, Dono habere auferreque abs te, quo lubeat sibi*, Mil. 4, 1, 34 sq. [1]) *Auferetur id praemium a me?* Pseud. 4, 7, 126. [2]) *Quid hoc? auferrene, Pseudole, abs tuo ero*, ib. 5, 2, 22. *Iam ab isto auferre* (vidulum) *haud sinam, nisi istum condemnavero*, Rud. 5, 3, 27. [3]) *Quo citius rem ab eo auferat cum pulvisculo*, Truc. pr. 19. [4]) *Avorti praedam* (pallam) *ab hostibus*, Men. 1, 2, 25. *Bene ego ab hoc praedatus ibo*, Pseud. 4,

---

me mulierem tu abduceres. Sed *fallaciis* necessarium est propter ea quae sequuntur v. 98. *Quem tu Pseudolum, quas tu mihi praedicas fallacias?*

[1]) Ita vulg., nisi quod *instruxisti* falso scribitur; *Mss.* Parei, certe Θs, *instruxit.* Sed altero versu pes integer deest, quem varie editores restituerunt, non tamen ita ut Plauti manum eos assecutos esse manifestum sit. Lind. et W. pro *Iube sibi,* receperunt *Iube sis* auctoritate cod. Lips., ed. pr. aliarumque vett. edd., sed contra *Mss.* Parei, certe Θs; neque haerendum in repetito pronomine, praesertim quum utrumque suum habeat verbum *dono habere* et *auferre* aut *lubeat.* Editores propterea tantum cod. Lips. videntur secuti esse, ut haberent quo versum explerent; sed ratio, qua id faciunt, non satis est probabilis; Lind.: *Dóno sibi habere, aúferre abs te, quod lubeat sibi. Placet?* versu enim seq. respondet Pyrgopolinices: *Placet ut dicis.* Weis.: *Dóno habere sibi auférreque abs te, quo lubeat, sibi.* Θs *auferet te* omisso *abs,* et *quod iubeat,* Δp *quo iubeat,* num idem *auferreque abs te* an aliud exhibeat non liquet, sed litterarum formae in fabula ipsa non indicant Pareum quidquam de sua aut aliorum coniectura dedisse; Lips. et Pr. *auferre abs te quod.* Quodsi numeros accuratius spectamus, non emendatos ab recentibus editoribus possumus censere; immo numeri vulgatae lectionis tantopere produnt Plautinum ingenium, ut excidisse tantum unum pedem aliquo loco sit necessarium non mutatis reliquorum verborum numeris. Itaque neutram probare licet emendationem, quanquam non succurrit quod melius esse putemus; fort. legendum *quolibet lubeat,* etsi desideramus exemplum ita coniunctorum vocabulorum, aut ad Palatinorum codicum lectionem *iubeat* addendum idem illud *libet*: *quolibet iubeat* (sc. *auferri*) *sibi.* De infinitivo *activo* pro *passivo* non est dubitandum; unum certe eius usus exemplum Plautinum mihi praesto est ex Amph. 1, 1, 88. *Illico equités iubet déxtera indúcere.*

[2]) Both. et Weis. *praemium id,* quo numeri non emendantur, nisi synizesis statuitur; sed eius usus non tam frequens videtur apud Plautum, quam plerique opinantur.

[3]) Displicet *te* omissum aut scribendum erat *auferri*, sed constanter libri tuentur infinitivum activi. Non male Bothius ad tollendam hanc offensionem *ab isto* ortum putat ex *abis? te* et ita in rec. ed. scribit *Idm abis? te auf.* sed hoc ipsum non potest verum putari propter omissam interrogandi particulam; ubique enim, quod sciam, Plautus in eadem sententia *Iamne abis* dicit, quod h. l. numerorum fines excedit. Fortasse alio loco mendum residet; ΔΘp *aut sim* pro *sinam* (nihil quidem aliud ex Parei nota colligere licet), sed Θs *aut sim istunc,* unde suspicor idem in Δ esse, quia Pareus de *ambobus* suis Mss. loquitur; quodsi eo versus loco aliquid turbatum est, coniicere licebit *haúd sinám te, ni istum.*

[4]) Goell. *auf. ab eo,* Weis. *averrat,* quod quanquam per numeros et sententiam probum est, tamen alias non invenitur apud Plautum et omnino rarissimum est verbum; Both. *aufert.*

7, 39. *Cepi, expugnavi amanti erili filio aurum ab suo patre*, Bacch. 4, 9, 7. *Nam adversum legem a me ob meam scripturam pecudem cepit*, Truc. 1, 2, 42. [1]) *quam* (pallam) *ab uxore tua surripuisti*, Men. 2, 3, 42. *quae me arguit Hanc* (pallam) *domo ab se surripuisse atque abstulisse deierat*, ib. 5, 2, 63. *á Megáribus Eas quí surripuit*, Poen. pr. 86 sq. [2]) — *illi dixerunt — Te quaeritare* (hospitium) *a muscis. C. minime gentium. L. Quid ita? C. quia a muscis si mi hospitium quaererem, Adveniens irem in carcerem recta via*, Poen. 3, 3, 77 sqq. [3]) — *a pistore panem petimus*, Asin. 1, 3, 48. *Nunc ab transenna hic turdus lumbricum petit*, Bacch. 4, 6, 22. *Nae ille malo quidem ab opere exemplum petit*, Most. 3, 2, 76. *Haec vasa — iubebo abs te peti*, Merc. 4, 4, 41. *Haec sacerdos hinc me petere iussit a vobis aquam*, Rud. 2, 4, 17 [4]) *tritici modios decem Rogare, opinor, te volt. G. mene, ab se ut petam?* Stich. 1, 3, 99 [5]) *sávium sis pete hinc a me. nequeo caput Tollere*, Truc. 2, 6, 44. [6]) *aurum repetam ab Theotimo domum*, Bacch. 4, 6, 7. — *hoc petere me precario A vobis iussit*, Amph. pr. 25. *Iusta — ab iniustis petere insipientia'st*, ib. 36.

---

1) Vulg. *accepit*, ΔΘps *accipit*, Goell. Both. ex Charisio *cepit* h. d. recte.

2) Vulg. *Magaribus*, cum Θs, L. Par., sed ed. pr. *megaribus; Megara* vocabatur pars ipsius urbis Carthaginis pulcherrima, itaque pro ipsa urbe Carthagine dicta existimari debet; qua sit quantitate illud vocabulum, num paenultima producta an correpta, ex ipso vocabulo ostendi nequit; sed quum reliquarum partium Carthaginis nomina, *Bursa* et *Cothon*, Graecae sint originis, non dubito quin etiam *Megara* eandem et originem et quantitatem habeat, quam Attica *Megăra*. Vitium ergo haud dubie in vocabulo *periere* latet et prior pars versus scribenda est: *Cum nútrice una périerunt;* adnectitur tum *a Mégaribus* eadem prosodia et forma, qua idem legitur Pers. 1, 3, 57. Aut statuendum est auctorem illius prologi — nam de Plauto ipso nemo cogitare poterit — revera *Megaríbus* producta antepaenultima et *periere* scripsisse. Hinc vereor ne non recte scripserit W. *magalibus*, qua enim ratione virgo ingenua divitis Carthaginiensis in magalia cum nutrice devenerit, difficile est ad explicandum.

3) Vulg. *Adveniens huc*; W. *huc* | *Adveniens*; delendum videtur *huc*, nam *advenire* saepe non addito *huc* vel *domum* de domum venientibus, redeuntibus aut omnino de iis qui in locum aliquem perveniunt dicitur. Sententia loci impedita est; qui enim *a muscis* explicant intellecto *liberum*, facilem quidem intellectu vim tribuunt *muscis* i. e. hominibus importunis, molestis, sed grammatica impediunt locum difficultate, nisi interpellatum esse sermonem censent, ita ut leno *liberum* addere voluerit, sed festinatione Collybisci impeditus omiserit; iidem debebant signa interpellati sermonis adiicere post *muscis*. Sed non cernitur in Collybisco tanta morae impatientia, ut probabilis sit aposiopesis; nec scimus Romanos in sermone quotidiano brevitatis tam fuisse studiosos, ut *a muscis* dicerent pro *a m. liberum* nec *a* vim *sine* praepositionis sustinuisse verisimile est. Itaque *a muscis* sic erit coniungendum cum *quaeritandi* verbo, ut hoc notionem *petendi* ab aliquo sive apud aliquem tueatur. Tum sane ambiguitas in muscis alia est; non molesti arbitri sunt intelligendi, sed, ut W. voluit, mulieres. Quam translatam significationem quo probem exemplo non habeo quidem; sed ingenii importunitas ut impudentia non minor in meretricibus quam in parasitis fuisse putanda est, unde nomen muscarum accipere possent. Utram explicationem magis probet responsum Collybisci, num carcer liber a muscis fuerit an bestiolis illis abundaverit, ea tam scrupulosa est res, ut me ad liquidum eam perducturum desperem.

4) Vulg. *sacerdos Veneris*.

5) Vulg. *ut ab se*; ΔΘps, Pr. *ut ab sese*.

6) ΔΘps *hinc abnequeo;* f. leg. *hinc pete: ah! nequeo c. T.*

id (aequum bonumque) *ab eo petas*, Curc. 1, 1, 66. *artoptam — utendam peto A Congrione*, Aul. 2, 9, 5. *Heú senex, pro vapulando hercle ego abs te mercedem petam*, Aul. 3, 3, 8. [1]) *a me consilium petunt*, Curc. 2, 1, 34. *ab eo cons. petam*, Trin. 3, 1, 13. *cons. a te expetesso*, Epid. 2, 2, 70. *pacem ab Aesculapio Petas*, Curc. 2, 2, 20. *ab eo petito gratiam*, Capt. 3, 5, 63. *Gratiam a patre si petimus, spero ab eo impetrassere*, Stich. 1, 2, 23. [2]) *parasitum in Cariam misi meum Petitum argentum a meo sodali mutuum*, Curc. 1, 1, 68. *cur nunc a me igitur petis* (argentum), ib. 4, 3, 10. *a quo trapezita peto?* Epid. 1, 2, 40. *a me argentum petito praesentarium*, Most. 2, 1, 14. *nempe abs te petam*, ib. 3, 1, 124. *Ne tum, quando sanus factus sit, a me argentum petat*, Men. 5, 7, 55. *quam* (conditionem) *abs te peto*, Trin. 2, 4, 87. *datur ignis, tametsi ab inimicis petas*, ib. 3, 2, 53. *Ita a me hic vicinus — petiit — ut*, Pseud. 3, 2, 106 sq. *nunquam abs te petam* (malam rem), Bacch. 5, 2, 24. *a me sibi malam rem arcessit*, Amph. 1, 1, 171. *a me mendicas malum*, ib. 4, 2, 12. *Optumi quique expetebant a me doctrinam sibi*, Most. 1, 2, 76. *salutem abs te expetit* (per litteras), Pseud. 1, 1, 41. *mirum quin tŭum ius mĕo periclo abs te expetam*, Rud. 5, 3, 37. *Qui súnt, qui a patróna precés mea expetéssunt*, Rud. 1, 5, 1. [3]) *Nunc si me fas est obsecrare abs te*, Bacch. 4, 9, 102. *Facilius, si qui pius est, a dis supplicans, Quam qui scelestust, inveniet veniam sibi*, Rud. pr. 26 sq. *Iustam rem et facilem esse oratum a vobis volo*, Amph. pr. 33. *hoc me orare a vobis iussit Iuppiter*, ib. 64. *Qua confidentia rogare tu a me argentum tantum audes*, Pers. 1, 1, 40. [4]) *interim Ab amico alicunde mutuum argentum rogem*, Trin. 3, 3, 29. [5]) *quantum* (boni)

---

[1]) *Ego* delendum videtur.

[2]) Ita vulg. cum codd. legitur, sed numeris vix tolerandis. Weisius: *Grátiam a pátre si pétimus, spéro áb eo ímp.* addita hac adnotatione: „*Gratiam* tanquam duabus enunciandum syllabis.“ In quo etsi ictus in *patre* non producta paenultima et in *pétimus* non est reprehendendus, tamen et synizesis in *Gratiam* et duplex hiatus in *spero-ab eo-imp.* magnopere est incommodus. Altera pars versus *spéro ab eo impetrássere* tam bonis decurrit numeris, ut omnino intacta videatur relinquenda; in prima parte si transpositione verborum opus fuerit, cavendum est ne *Gratiam* suo loco moveamus, est enim vox primaria et principem tenere debet locum; reliqua aut nulla transpositione *á patre sí petémus* sunt scribenda aut, quod magis placet, transpositis verbis *si a pátre petémus*. Futurum autem tempus h. l. aptissimum est, ut et quae praecedunt et quae sequuntur docent.

[3]) Lamb. coni. *paces*, sed *preces precari* dici posse ut *pugnam pugnare*, quod legitur Amph. 1, 1, 97. nemo negabit, et re vera ita antiqui in solemni precatione dicebant, velut Cato de Re rust. c. 134. 139. *Iane pater, te hac strue commovenda bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi.* Quidni etiam *preces expetere?*

[4]) W. *med*, sed potest etiam hiatus esse in *tantum*.

[5]) Vulg. *mutuum* omissum est et *roges* legitur, nec aliter *Mss.* Parei, Lips. Pr. (haec etiam *rogem*) numeris corruptis. Camerarius: *Ab am. aliquo alic. arg. in dotem roges;* recentiorum editorum alii aliter versui succurrere studuerunt, vid. Lind. Qui *aliquo* inserunt, nullam insequentis versus rationem habent, in quo eadem verba ad irridendum Calliclem repetuntur: *Potin' est ab amico alicunde exorari.* Cur illud *aliquo*, quod non est otiosum, sed *unum aliquem quemlibet* designat et graviorem etiam irridendi causam praebet, quum non *quivis* amicus libenter mutuum det argentum, cur illud igitur omissum putemus? Versus enim optime constaret, si scriptum esset: *Potin' est ab amico aliquo alicunde exorarier.* Quod autem in extremo versu legitur *potest*, perfacile

ipsus a dis optat, Capt. 4, 1, 10. *Vix ipsa domina, nisi sciat, exoptare a dis audeat*, Stich. 2, 1, 24. *Possum a te exigere argentum?* Pers. 3, 3, 18. *eum* (thesaurum) *a me lege populi patrium posceret*, Trin. 5, 2, 22. *At ego ab hac puerum reposcam*, Truc. 4, 3, 76. *Postulo abs te, ut* —, Capt. 5, 1, 18. *tŭ aquam a púmicé nunc póstulas*, Pers. 1, 1, 42. *Nunquam áb amatore póstulat id quód datum est*, Truc. pr. 14. [1]) *Plus pollicere tu, quam ego a te postulo*, ib. 2, 4, 23. [2]) — *Censen' talentum magnum exorari pote Ab istoc sene ut det*, Aul. 2, 4, 30 sq. [3]) *sine me hoc exorare abs te*, Bacch. 5, 2, 51. [4]) *Ego quidem ab hoc certe exorabo*, ib. 58. *res quaedam'st quam volo Ego me abs te exorare*, Trin. 2, 2, 44. *Potin' est ab amico alicunde exorari*, ib. 3, 3, 30. *Quid, si ego impetro atque exoro a*

---

tantus poeta, ex cuius ore quasi manare versus videntur, in proxime sequentem transferre potuit. Deinde editores non satis videntur attendisse ad sententiam totius loci usque ad v. 33; est autem summa ea, ut ostendat Megaronides, difficile esse consilium Calliclis ad exsequendum, neminem enim libenter *mutuum* dare argentum; itaque quum manifesto aliquid exciderit, etiam *mutuum* in fine versus potuit excidere. Num *roges* an cum sola ed. pr. *rogem* praeferendum sit, ambigo; certe nihil habeo quo primam alteramve personam necessarium esse ostendam. Quodsi probabile est in extremo versu *mutuum* excidisse, perfacile etiam extremae litterae illius verbi potuerunt turbari; fort. igitur legendum: *Ab amico álicunde árgentúm roga mútuum.* aut si minus placet hiatus et *roges* in *roga* mutatum: *Ab amico alicúnde argéntum mútuúm roges.* Haec scripseram, quum in mentem venit adire virum doctissimum, auctorem illius disputationis, quam supra p. 6. not. 4. attuli, eumque interrogare, num quid Ritschelius in scholis suis ante aliquot annos de Trinummo habitis de hoc loco tam difficili ex Ambrosiano codice palimpsesto cum auditoribus communicasset. Isque me allegavit ad libellum suum p. 11. ubi is ipse locus illius codicis lectione egregie esset restitutus *mutuum* vocabulo inserto. Debebam hoc ex ipso libello iam antea cognoscere et inanis operae in excogitanda coniectura collocatae compendium facere poteram; sed ut fit, cum singulas res, quae ad mea consilia maxime pertinere viderentur, perlustrabam, gravissima alia oculos fugit. Nec aegre fero operam meam irritam esse redditam meque ex parte tantum verum invenisse neque delere volui errorem, ut cognoscatur quanta sit cautio adhibenda in emendandis his fabulis. Id certe ex ea res cepi voluptatis, quamvis admixto pudore, me rectam viam esse ingressum. — Sed supersunt quaedam de toto loco disputanda; in eo enim qui sequitur versu: *Gerrae! nae tu illud verbum actutum inveneris*, f. leg. *verum* pro *verbum*, hac sententia: Du wirst folgenden Spruch sogleich wahr (durch die Erfahrung bestätigt) finden; si enim sententia esset: Du wirst sogleich folg. Spruch hören, necessario dicendum erat *audiveris*. Cum illis autem verbis *verum inveneris* recte cohaerent (v. 33): *Malim hercle ut verum dicas, quam ut des mutuum*, quorum prima pars et firmat nostram coniecturam et aptissime alteri *ut des mutuum* est opposita; ita ut Callicles dicat, pluris sua interesse ut Megaronides *verum* sibi *dicat*, fidum sibi suppeditet consilium, quam ut *mutuum det* argentum. Itaque nihil novandum puto in his verbis, ut Lind. fecit scribendo *Malim hercle ut vere dicas, quam mutet fides*, quae coniectura quam non sit idonea, non opus est explicare; nam etsi etiam vulg. *ut des* e coniectura ortum est, tamen proxime accedit ad Pall. codicum lectionem *uides*.

1) Vulg. *amatore suo;* Goell. Both. *am. postulat suo*, W. delevit *suo*.

2) *Tu* abest a codd. et vulg.; exhibent Par., Goell., W.; Both. 2, 5, 23. *quamde*.

3) Vulg. *potesse*, sed cf. lib. schol. p. 19. videturque huc pertinere locus e Truc. 2, 2, 62. *Vérum ego illum, quanquám violentust, spéro mutari potest.* Pareus quidem *notandam esse syntaxin* censet et Goellerus multis eam exemplis explicare et firmare studet, tamen non ferri posse *potest*, sed *pote* scribendum alias ostendam.

4) Vulg. *me* abest, cf. Ritschl.

villico, Cas. 2, 3, 51. *iniusta ab iustis impetrare non decet*, Amph. pr. 35. *istuc confido a fratre me impetrassere*, Aul. 4, 7, 6. *neque — queo — ab eo impetrare*, Curc. 1, 1, 65. *quid, si ego autem ab armigero impetro*, Cas. 2, 3, 52. *quam istam operam á me impetres*, ib. 2, 5, 3. *Atque ego censui abs te posse hoc me impetrare*, ib. 2, 6, 12. *Aliud quidvis impetrari a me facilius perferam*, Most. 5, 2, 48. *Quod volui, ut volo, impetravi — A Philocomasio*, Mil. 4, 5, 1 sq. [1]) *Aequum hasce petere intellego: decet abs te id impetrari*, Rud. 3, 3, 40. [2]) *Sed sine me hoc abs te impetrare*, Trin. 5, 2, 43. Pertinent huc verba *auferre et ferre impetrandi* notione dicta: *Unumquodque istorum verbum nummis Philippeis aureis Non potest auferre hinc a me, si quis emptor venerit*, Asin. 1, 3, 1 sq. *salvam ut aulam abs te auferam*, Aul. 4, 2, 7. *Ut istuc, quod me oras, impetratum ab eo auferam*, ib. 4, 7, 15. *dum auferam abs te id quod peto*, Curc. 3, 58. *ne quisquam a me argentum auferat*, ib. 5, 3, 26. *nam hinc quidem a me non potest Argentum auferri*, Pseud. 1, 5, 89. *Quam ego pecuniam quadruplicem abs te et lenone auferam*, Curc. 5, 2, 21. *tun' hoc feras argentum hinc aliter a me?* Asin. 3, 3, 110. *nunquam hinc feres a me*, Aul. 5, 22. *Nisi multis blanditiis a me gutta non ferri potest*, Rud. 2, 4, 20. [3]) *Hunc* (vidulum) *homo feret a me nemo: ne tute speres potius*, ib. 4, 3, 29. [4]) — *neque partem tibi Ab eo, quiqui est, indipisces*,

---

[1]) Cf. libr. schol. p. 30.

[2]) Vulg. *has* contra numeros; Par. Reiz. W. *hasce*, f. recte; Both. transposuit *petere has*, quae facilior etiam iudicanda est emendatio.

[3]) Reiz. *ferri non* contra omnes codd. et haud dubie etiam contra numerorum suavitatem.

[4]) Ita vulg. corruptis numeris trochaici septenarii; nam praeter sententiam non facile expediendam etiam quantitas *potius* vocabuli est neglecta et haec in fine versus adduntur: *Tr. non ferat.* Recte videtur iam I. Gulielmus emendasse *speres ocius*, quamquam non omni dubitatione sublata, et verba illa postrema transtulisse in vs. seq., in quo vocabulum *nemo* delendum a sententia etiam damnatum, quippe quod v. 31. recurrat. Eum secutus est Reizius et nihil in ea emendatione displicet, nisi insuavitas quaedam ictuum v. 29: *Húnc homo féret a mé nemó: ne túte spéres ócius*, pro eo quod naturali vocabulorum accentu commendatur: *Húnc homó feret á me némo*, quo sane ictu cogimur delere *te* in *tute* per se omnino inutile. Sed recentissimi editores Weisius et Bothius (1840) aliam inierunt emendandi huius loci rationem. Ac prior quidem v. 29. *homo* uncinis inclusit et verba: *Tr. non ferat* in eodem versu retinuit deleto tantum *te* in *tute;* v. 30. vulgatam paene omnino servavit, etiam suspectum illud *nemo*, mutato tantum *sis* in *sies: Sí dominus venidt? Gr. dominus huic némo, ne frustrá sies*, in quo dubitatio remanet, utrum *do|minus huic* | an *domi|nús huic* : producta ultima in *dominus* pronunciari voluerit editor; utrumque intolerabile est. Bothii vero ratio longe discedit a reliquis editoribus; is enim v. 29. ita scripsit: *Húnc homo feret a me nemo: né tu te sperés poti eius*, versumque fecit octonarium trochaicum. Qua in re plura sunt, quae assensum eorum, qui Plautinum dicendi genus versuumque condendorum rationem cognoverunt, vix sint latura. Etsi enim infinitivus *poti* pro *potiri* ex Pacuvio affertur nec propter alias eius verbi formas ex tertia verborum coniugatione declinatas dubitari potest, quin ille infinitivus re vera aliquando pro vulgari sit dictus, tamen id apud Plautum esse factum certo aliquo exemplo non demonstrabitur. Si vero in corrupto illo *potius* latet verbum *potiri* ad sententiam aptissimum, aliud quiddam in mentem venit, quod quum audacius sit nec ipse amplecti nec aliis commendare in animum induco. Omisso enim *homo* vocabulo scribi potest: *Húnc feret a me némo; ne tu té speres potirier.* Sed ut ad rem, a qua digressus sum, revertar: accedit altera res gra-

Aul. 4, 10, 45 [1]) *Hodie quas* (minas viginti) *abs te inde est stipulatus Pseudolus*, Pseud. 4, 6, 7. [2]) *Qui a patre eius conciliarem pacem*, Most. 5, 2, 6. *a me initis gratiam*, Asin. 1, 1, 44. *Inibis a me solidam et grandem gr.*, Curc. 3, 35. *eo a me magnam inistis gr.*, Cist. 1, 1, 8. *hanc inibo gr. Ab illis*, ib. 2, 3, 85. *pol ille a quadam muliere — gr. ineat*, ib. 4, 2, 70. *ecquam abs te inibo gr.*, Epid. 3, 4, 5. *Nunc me gr. abs te inire verbis nihil desidero*, Stich. 4, 1, 10. *hoc pacto ab illo inibis summam gr.*, Trin. 2, 2, 95. *Gratum arbitratur esse id a vobis sibi*, Amph. pr. 48. *Nihil ei acceptum est a periuris supplici* (i. e. supplicationis), Rud. pr. 25. — *a praetore sumam syngraphum*, Capt. 2, 3, 90. *argentum ab danista — sumpsit foenore*, Epid. 1, 1, 51. *Quin hodie allatae tabellae sunt ad eam a Stratippocle, Eum argentum sumpsisse apud Thebas ab danista foenore*, ib. 2, 2, 66 sq. [3])

---

vissima adversus Bothianam emendationem, numerorum mutatio, de qua nunquam nobis persuadebit editor doctissimus. Disputat ille in praef. p. 5 sq. de Plautina numerorum variatione tantumque fines eius extendit, ut omnes in diverbiis versuum mutationes defendat eamque rationem in edendis fabulis Plautinis sequatur. Quod quanquam de canticis de iisque diverbiorum partibus est concedendum, in quibus gravis quaedam animorum perturbatio vim aliquam habuisse ad colorem sermonis est censenda, tamen ubique in diverbiis certe ratio quaedam mutati numeri subest et haud dubie etiam in canticis non tam est frequens quam editores statuunt. Ita in hac Rudentis scena (4, 3.) inde a versu 23. et quidem in vocabulo *vidulum* incipiunt certi trochaici septensrii nec mutantur usque ad finem totius scenae v. 105.; color enim totius sermonis ex graviore commotione in sedatam quandam rei disceptationem ab illo versu transit idque ipsum fieri manifestis verbis indicatur: *Nunc ádvorte animum; námque hoc attinet ómne ad te. Gr. quid est fáctum?* qui versus fort. anapaesticus est, nam *quid est*, imprimis in principiis versuum, saepe duas efficit breves aut unam syllabam productam. Sed Bothius institutum suum de saepius mutatis numeris secutus, quanquam ab eodem v. 24. septenarios esse statuit, tamen v. 28. *Égo ĭllum novi, cuius nunc est; tú illum, cuius antehac fuit*, iambicum octonarium facit, v. 29. trochaicum octonarium, versum autem 54. *Quíd tu, nunquam audisti esse antehac vídulum piscem? Tr. scelus*, retenta sane vulgata omnium lectione *audivisti*, et v. 88. *Quó pacto? Gr. sine me hinc abire; tŭ abi tacitus tuăm viam*, mutato *me* pronomine in *med*, iambicos octonarios. Ad quas omnes numerorum mutationes nulla adigimur necessitate; quis enim unquam quin correpta *ille* pronominis paenultima quam maxime Plauto conveniat dubitaverit, quis *audisti* pro *audivisti* etiam adversus omnes codices ubi numeri suadent non audeat scribere, quis *med* necessarium existimet ubi *me* elisum nullam obiicit difficultatem? Maxime probabiles leges de continuatione numeri trochaici apud Romanos proposuit Hermannus in Elementis doctr. metr. p. 164. ab iisque in emendando Plauto omnino non est recedendum. Atque audacter affirmo me omnia mutati numeri exempla in eiusmodi diverbiis, quale est Rudentis hoc loco, a Bothio illata facili opera sublaturum. — Reliqua, quae Bothius novavit h. l., breviter transigere licet; omisit enim praeter *nemo* etiam *huic*, num ut correptam ultimam in *frustra* tolleret non est perspicuum, quanquam alia omissi pronominis causa excogitari non potest. Sed non iam dubito, quin et *frustra sis* et alia quaedam in exitu versuum apud Plautum sint ferenda. V. 31. idem B. *in* omisit in verbis *hunc qui cepi in venatu meo*, qua causa motus id fecerit, non perspicitur.

1) Vulg. *inde posces*, sed Pal. 1. a m. sec. *indipisces*, Δp et Pal. 4. *indeposces;* iam emendatum in Weisiana ed.

2) Ita Camerarius, ut sit tmesis, quae aliquoties apud Plautum invenitur; W. auctore Prisc. *inde* delet et vulg. *instipulatus* servat.

3) Vulg. *sunt tabellae* et *eum* | *Argentum*; de transponendis illis vocabulis non est dubitandum neque de transferenda voce *eum* in vs. insequentem; sed num recte W. etiam *Argentum eum* transpo-

Ab eo licebit quamvis subito sumere, Bacch. 2, 3, 105. *ab eo haec sumpta,* ib. 4, 9, 13. *Qui subegi, foenore argentum ab danista ut sumeret,* Most. 3, 3, 14. *Abs te equidem sumam* (argentum, i. e. auferam). *S. tu a me sumes?* Pseud. 1, 5, 94. *Πόθεν ornaménta? T. ábs chorágo sumito,* Pers. 1, 3, 79. *Ipse ornamenta a chorago haec sumpsit suo periculo,* Trin. 4, 2, 16.— *illos emi de praeda a quaestoribus,* Capt. 2, 3, 93. *mandavit mihi, ab lenone ut fidicina — emeretur sibi,* Epid. 1, 1, 45 sq. *qui hinc a nobis est mercatus mulierem,* Pseud. 2, 2, 23. *qui puellam ab eo emerat,* Rud. pr. 59. *Redime istoc beneficio te ab hoc* (ex servitute), Asin. 3, 3, 83. *ni quatriduo Abalienarit* (ceratas tabulas etc.), *quo abs te argentum acceperit,* Asin. 4, 1, 20. [1]) *argentum accipiam a damnoso sene,* Epid. 2, 3, 14. *ab eo argentum accipi — volo,* Pseud. 4, 2, 54. *leno arg. hoc volo A me accipiat atque amittat mulierem mecum simul,* ib. 4, 7, 20 sq. [2]) *ubi ărgéntum ab hoc acceperis,* Pers. 4, 5, 4. *a me aurum accipe,* Curc. 1, 3, 45. *Accepitne aurum ab hospite A.,* Bacch. 2, 3, 16. (dixi) *Mé id aurum accepisse extemplo ab hospite A.,* ib. 4, 4, 35. [3]) *aurum, quod accepisti a Charmide,* Trin. 4, 2, 122. *nempe ab ipso id accepisti Ch.? Sy. Mirum quin ab avo eius aut proavo acciperem, qui sunt mortui,* ib. 124 sq. *Quod a me te accepisse fassu's. Sy. abs te accepisse? Ch. ita loquor,* ib. 127. [4]) *Minas quadraginta accepisti, quas sciam, A Philolachete. Si. nunquam nummum, quod sciam. Th. Quid, a Tranione servo? Si. multo id minus,* Most. 4, 3, 18 sqq. [5]) *M. qu. acc. a Callicle,* Trin. 2, 4, 2. 18. *Quae*

---

suerit, merito dubites; atque servari posse *Eum arg.* eliso toto pronomine ipse iam indicavit. Sed libentissime omnino careamus eo pronomine.

[1]) Ita vulgo; sed Pareus *quo ex arg.*, num ex V. C. auctoritate incertum, nam ita ille in nota: „*Abalienarit]* Sic V. C. at Pall. pr. sec. sext. *Abalienavit quod ex te.* pr. a manu secunda *Abalienarit.* ut et tert. qui habuit: *Abalienant quidem ex te.* quart. *abalienaris quo ex te.*" Pr. *quod ex te. Ex* praepositione non opus est ad tempus accurate designandum, quod solo ablativo satis certo constituitur; deinde *te* certum est in Pall. quidem, nec abesse a V. C. certo dici potest; itaque haud dubie vulg. recte habet, etsi sola coniectura nititur, at probabili, nam nemo unquam *accipere ex aliquo* dixit.

[2]) Vulg. *a me acc. Atque* — sed illa verba iustum efficiunt troch. septenarium; reliqua ab initio scenae non tam videntur certa, ut editorum rationem probare possimus.

[3]) Vulg. *Me* omissum, sed exstat in Θ, L. Pr.; mallm tamen transponere *Id me aurum.*

[4]) Versus est troch. septenarius, sed *Quod a me* pro primo trochaeo non est ferendum; transposuerunt *Quod te a me* Herm. et Lind., sed potuit etiam Plautus scribere: *Quod te accepisse a me fassus,* quem verborum ordinem propter ictus aequabilitatem in vocabulo *accepisse* praeferre non dubitaverim.

[5]) V. 20. propter numeros suspectus est; bacchius enim *Quid a Trd* | pro primo iambo et hiatus in *multo* intolerabis est. Itaque W. ex vett. edd., velut Pareo, *meo* inseruit post *servo*, quo quidem hiatus, non simul suspicio de primo pede tollitur. Nec satis recte versatur ea in re W., quum dixit lacunam esse in V. C.; nam si non additur quo sit loco illa lacuna, indicare nobis putandus est editor, eo ipso loco esse lacunam, quo *meo* insertum est, coniecturaeque aliquam certe addere probabilitatem. Pareus vero haec: „τὸ *meo* abest a Mss. et V. C. post *multo* lacunulam habet defectus, ut et v. seq. τὸ *ille* ab utroque abest." Quid sibi velit illa lacunula eo loco, non facile quisquam expediet; omnino vero non pertinet ad insiticium illud *meo*, nec numeri meliores redduntur monosyllabo illo vocabulo in fine sermonis posito. Sed alterum malum primi pedis intactum reliqnit W., fortasse transpositione verborum sanandum: *A Trdnione servo, quid? Si. multo id minus.*

advorsum legem accepisti a plurimis pecuniam, Truc. 4, 2, 47. [1]) *eum* (nummum) *a me accipe*, Men. 2, 2, 16. *Minus* (talento) *ab nemine accipiet*, Mil. 4, 2, 70. *si quid* (pecuniam) *ab illo acceperis*, Trin. 2, 2, 90. *ille aedis abs te accepit mancupio*, Trin. 2, 4, 19. *egon' ab lenone quicquam Mancipio accipiam*, Curc. 4, 2, 8. *Quid te dictatorem censes fore, si agrum abs te acceperim*, Trin. 3, 2, 69. [2]) *hunc arrabonem amoris primum a me accipe*, Mil. 4, 1, 11. *A quo arrabonem pro Palaestra acceperam*, Rud. 2, 6, 71. [3]) *Quine arrabonem a me accepisti ob mulierem*, ib. 3, 6, 23. [4]) *quae* (dona) *abs te accepi*, Truc. 2, 7, 56. *epistulam hanc a me accipe*, Pseud. 2, 2, 52. *Hanc ep. accipe a me*, ib. 4, 2, 26. *has ep. Dicam ab eo homine me accepisse* (perferendas), Trin. 4, 2, 7. *Ab ipson' istas accepisti?* ib. 57. *Ut ab illo accepi* (litteras), *ad te obsignatas attuli*, Bacch. 4, 7, 4. *Symbolum qui ab hoc accepit*, Pseud. 4, 7, 118. [5]) *hanc laetitiam accipe a me*, Capt. 4, 2, 92. *Abs ted accipiat* (pocula), Asin. 4, 1, 27. [6]) *Postquam eăm puellam á me accepit, illico Eandem puellam peperit, quam a me acceperat*, Cist. 1, 2, 20 sq. [7]) *quae a me accepit* (puellam) ib. 27. *accepistin' puerum tu ab hac*, Truc. 4, 3, 17. [8]) *uxorem accipe hanc a nobis*, Cas. 4, 4, 10. *Nec satis a quiquam homine accepi* (i. e. sponsionem, fidem), Pers. 4, 3, 8. *Sátis abs te accipiam, nisi videam mihi te amicum esse*, Stich. 4, 1, 4. (cf. etiam Most. 1, 3, 67.) *accipe* (i. e. audi) *a me rursum rationem doli*, Mil. 3, 1, 178. — *habesne argentum ab homine*, Pseud. 4, 7, 67. *Tu a nobis, sapiens, nihil habes; nos abs te nequam habemus*, Truc. 1, 2, 59. [9]) *ubi illud, quod volo, Habebo ab illo*, ib. 2, 4, 65.

7. Hinc fit ut *ab* omnino cum notionibus possessionis et opum coniungatur, unde quid depromitur aut iam depromptum est. Saepius igitur *esse ab aliquo* idem est atque ad possessionem, ſamiliam alicuius pertinere. Quod maxime perspicuum reddent ea exempla, in quorum verbis ipsis motus aliquis indicatur: *si qui uti voles, Domo abs te afferto*, Aul. 2, 5, 15. [10]) *iussero Cadum unum vini veteris a me afferrier*, ib. 3, 6, 35. *qui argentum a te attulit*, Curc. 4, 4, 25. *tibi dapinabo victum — a me meoque gnato*, Capt. 4, 2, 118. *Da*

---

[1]) Goell. *legem adversum*, Both. *accepisti advorsum legem a pluribus*, Θs que. *Adversum l. accepistis adplurimis p.*, de V. C. Pareus nihil enotavit. Non videtur ordo verborum mutandus, neque *pluribus* opus est.

[2]) Vulg. *abs te agrum*, quod ne rationi quam recte proposuit Brixius p. 42. repugnaret, correpto *te* cum hiatu esset pronunciandum; transposuimus ut numeris consuleremus.

[3]) Cod. Ambr. pal. *Quo ab arrabonem.*

[4]) Vulg. *Quin* cum *Mss.* Parei, iam alii emend.; iidem *Mss.* cum V., altero loco etiam cum L. *arrab.* pro vulg. *arrhab.*, Pr. *arab.* In fine versus vulg. additur *et* omnino non tolerandum; transtulit W. in vs. inseq. ibique haud dubie recte *averti* pro *abduxisti* scripsit.

[5]) Vulg. *ab* om. in codd. et edd.; recte addiderunt B. et W.

[6]) Ita Δp, at Pall. omnes, L. Pr. *Adstet.*

[7]) Vulg. *puellam eam* contra omnes *Mss.* Parei, Pr.

[8]) Goell. *abs hac* minime probabiliter; singularis est h. l. vis in pronomine propter oppositionem.

[9]) Vulg. *nequam abs te*, W. et Both. *n. abs ted;* Goell. ita transposuit, ut proxime ad verum nobis accedere videtur propter pronomina in utraque sententia aequaliter sibi opposita.

[10]) Vulg. *quod*, sed Δp, Pall. Pr. *quid*, unde recte putamus receptum a Lamb. Both. W. *qui* i. e. *qua re;* nam reliqua pars versus elisionem eo loco necessariam reddit.

sodes abs te (aurum), *post ego reddidero tibi. M. Immó cedo abs te. A. égo post tibi reddam duplex*, Men. 3, 3, 21 sq. *possum a me dare* (chlamydem, machaeram, petasum), Pseud. 2, 4, 45. *tritici modios decem Rogare, opinor, te volt. G. mene, ab se ut petam? Cr. Immo hercle, ut abs te mutuum nobis dares*, Stich. 1, 3, 99 sq. (cf. supra p. 9. not. 5.) *a me argentum dedi*, Trin. 1, 2, 145. *quando illi a me darem*, ib. 5, 2, 20. *viáticum út dem á trapézitá tibi*, Capt. 2, 3, 89. [1]) *rem solvi a trapezita meo*, Curc. 5, 2, 20. *faciunt a malo Peculium, quod nequeunt facere de suo*, Most. 4, 1, 6 sq. *amant a lenone*, Pseud. 1, 2, 69. *Amat a lenone hic*, Poen. 5, 2, 132. — *Unde haec* (patera) *igitur est nisi abs te*, Amph. 2, 2, 158. *haec cistella numnam hinc a nobis domo est*, Cist. 4, 1, 6. *Quid eum nunc quaeris? aut cuiatis? C. eloquar. Ab Therapontigono Platagidoro milite*, Curc. 3, 37 sq. *Credo hercle te esse ab illo*, ib. 82. *Quemque* (i. e. *quemcunque*, ut saepe apud Plautum) *a milite hoc videritis hominem*, Mil. 2, 2, 5. *Assunt fabri architectique a me, a te haud imperiti*, ib. 3, 3, 45. [2]) *Quid hĭc? unde est? P. a luculenta atque a festiva muliere*, ib. 4, 1, 12. *haec illaec est ab illa, quam dudum dixi. P. Quanam áb illarum? nam ita mi occursant multae; meminisse haud possum. M. Ab illá, quae digitos déspoliat suos ét tuos digitos décorat*, ib. 4, 2, 55 sq. [3]) *Esne tu an non és ab illo milite Macédonio Servos eius*, Pseud. 2, 2, 22. *quasi á Macédonio Milite esset*, ib. 4, 7, 66. [4])

8. Motus notio *ab* praepositione manifestissime indicatur apud verba *timoris* et *spei*, si quid boni aut mali aliunde ad nos venturum putamus: *si quid metuis a me*, Capt. 3, 4, 75. *quid ab hac metuis*, Bacch. 1, 1, 32. *iam abs te metuo de verbis tuis*, Men. 2, 1, 41. *Quid est quod non metuas ab eo*, Pseud. 4, 6, 25. *ita me di ament, ut ob istam rem Tibi multa bona instant a me*, Pers. 4, 3, 22. *Non a me scibas pistrinum in mundo* (i. e. paratum) *tibi?* Pseud. 1, 5, 85. *Si aufers puerum, a milite omnis spes tum mi animam efflaverit*, Truc. 4, 4, 23. [5])

---

1) Vulg. *hinc a*, sed *hinc* om. Δp, Pal. Pr.

2) Propius ad vestigia codicum accedit, quod Lind. dedit: *a te, a me*, nam Δp *adsunt muliebria arch. a te amant inp.*; quamquam non haereo in asyndeto, tamen in loco tam turbato propter praecedentia *fabri architectique* aptius videtur scribere *a te a meque;* W. *architectonesque ad eam rem h. i.*

3) Vulg. *dixi* v. 55. non legitur neque in codd. invenitur; addiderunt recte ad numeros sustentandos B. et W., Lind. lacunae signa posuit. Vs. 56. Lind. vulg. et librorum lectionem *me* pro *mi* dissuadente Hermanno retinuit, *occursare aliquem* aeque recte dici putans atque *incursare aliquem;* sed notiones utriusque verbi omnino sibi contrariae sunt, in altero ratio dativum requirit, in altero accusativum; quumque unum hoc sit accusativi exemplum, reliqua quae apud alios reperiuntur cum dativo iungantur, non est dubitandum quin h. l. brevior pronominis *mihi* forma ex ipsis codd. vestigiis sit eruenda; nam perraro *mi* scriptum invenitur, ubi numerorum causa necessario est restituendum.

4) Utroque loco W. antepaenultimam in *Macedonio* videtur productam censere. Sane quidem *milite* vocabuli ultima ictu producta est, sed quanquam molestum id, tamen aliquoties apud hunc scriptorem ferendum. Supra plane eiusdemmodi exemplum allatum est (6.) e Pers. 1, 1, 42. *aquam a púmice nunc póstulas.*

5) Vulg. *auferes* et *tum mihi spes*, etiam Pareus; Θs *auferes — omnes tum m. sp. anima* (ita etiam *Mss.* Parei); recentes editores *aufers;* praeterea Goell. *tum omnis*, W. om. *tum*, Both. *spes tum mi an. ecfl.*, quod praeferendum duximus.

9. Motus notio transfertur ad *actiones*, quae alicunde exeuntes ad alium locum transeunt vimque suam exercent. Saepissime id fit apud passivas verbi formas, interdum etiam apud intransitiva, velut: *Merito tibi ea evenerunt a me*, Capt. 2, 3, 55. *Facite hodie, ut mihi munera multa huc ab amatoribus conveniant*, Pseud. 1, 2, 44. *Quid ipsus hic? quo honore est illic? Ph. summo atque ab summis viris* (i. e. qui proficiscitur ab summis viris; nam de generis origine h. l. cogitari nequit, quia iam duobus versibus ante de genere interrogatus responderat et Plautus in designanda origine aut solo ablativo utitur aut additis *de* vel *ex* praepositionibus), Capt. 2, 2, 29. *Quid est quod metuas? S. dum ero insidias parem, ne a te perdeam*, Poen. 4, 2, 62. [1]) — *adiuvabere a me*, Aul. 2, 2, 16. *volo amari a meis*, Asin. 1, 1, 52. *amari mavolo, Mi gnate, me abs te*, ib. 5, 1, 9. *Nunquam ego me tam sensi amari, quam nunc ab illa muliere*, Mil. 4, 5, 3. *ita me probri, St., ded. a viro argutam meo?* Amph. 3, 2, 1 sq. *Ulixem ut praedicant, Cognitum ab Helena esse proditum Hecubae*, Bacch. 4, 9, 39. *adeo arcte cohibitum esse se a patre*, Merc. 1, 1, 64. [2]) *Si illi congestae sint epulae a clientibus*, Trin. 2, 4, 70. *nimis tandem ego abs te contemnor*, Pseud. 4, 1, 11. *quae* (regiones) *mi ab ero sunt demonstratae*, ib. 2, 2, 1. *sese a me derideri rebitur*, Aul. 2, 2, 28. *scitis concessum et datum Mi esse ab dis aliis*, Amph. pr. 11 sq. *iuste ab iustis iustus sum orator datus*, ib. 34. *quid Amphitruóni á Telebois ést datum*, ib. 1, 1, 262. [3]) *donec a me erit signum datum*, Bacch. 4, 4, 106. *quid iis* (ĭs) *preti Détur ab súis eris*, Men. 5, 6, 8. *a tua mi uxore dicam delatum et datum* (anulum), Mil. 3, 1, 205. *praedicabo A túa mihi uxore esse datum*, ib. 3, 3, 58. [4]) *Optatus hic mihi dies datus hodie'st ab dis, quia te licet liberam me amplecti*, Pers. 5, 1, 21. [5]) *dicant — Datam tibi dotem*,

---

[1]) Ita vulgo. *Mss.* Parei et Θs *parilem ne a te perdiam*; hinc veri simillimum est *paritem* ab editoribus partim commendatum partim receptum; quid vero in *perdiam* lateat difficile est ad suspicandum. Pareus *perdeam* scripsit addita in margine hac adnotatione: „*perdeam* pro *peream*. τὸ *d* hiatus causa interiectum: ut in multis aliis verbis.“ Quod fieri posse, ubi nullus est hiatus, nemo est qui sibi persuadeat. Gronovius *pendeam* scribendum censet et satis apte explicat, W. *perduar*, Both. *ne ante perduar*, quam lectionem Rostius in vertenda hac fabula ante oculos videtur habuisse, certe *ante* particulam. At haec particula non est necessaria, modo ne quis dubitet, num recte dici possit *ab aliquo perire*. Quod etsi aliis exemplis Plautinis non firmatur, tamen rationem habet et defendi potest. Sed ego ne posse quidem h. l. *ante* dici contendo; nam in his verbis ea est sententia: *metuo ne, dum alteri insidias parem, ipse alterius opera peream*. Opponuntur sibi in his notiones *perdendi* et *pereundi* atque personae insidiatorum ita, ut qui in prima sententiae parte insidiator fuerit, in altera ipse timeat insidiatorem. Deinde non apta est *ante* particula, quod praegressa *dum* particula indicat, eodem tempore cogitandas esse illas actiones et servum una opera domino sibique periculum parare. Itaque quanquam codicum lectio *a te* non videtur esse turbanda, tamen neque *perdeam* neque *perduar* videtur tolerandum; non enim ullum eiusmodi exemplum *passivum* invenitur, quanquam activa *perduim, perduis, perduit, perduint, creduam etc.* Plautinis firmantur exemplis; *perduam* ex suppositis tantum Amphitruonis partibus affertur. Fortasse scribendum *perierim*.

[2]) *Se* deest quidem in Θs et L., sed necessarium ad numeros explendos et facile excidere potuit.

[3]) Vulg. *datum est*.

[4]) Vulg. *uxore mihi*, transposuit Lind., sed nondum sani videntur numeri.

[5]) *Ab dis*, *Mss.* Parei.

ei quam dares, eius a patre, Trin. 3, 3, 13. *Rus rursum confestim exigi solitum a patre,* Merc. 1, 1, 68. *Item a me contra factum est,* Aul. pr. 20. *iniuria Fácta in nos ést modo hic intus ab nóstro ero,* Rud. 3, 3, 7. *factum a vobis comiter,* Poen. 3, 6, 10. *Verúm quidquid ést comitér fiet á me,* Rud. 1, 5, 27. [1]) *ut haéc* (fallacia) *est fabré facta a nóbis,* Cas. 5, 1, 8. [2]) *Lubentique edepol animo factum et fiet a me,* Cist. 1, 1, 13. [3]) *Nescio quid malefactum a nostra huic familia est,* Mil. 2, 2, 11. *Ne a me memores malitiose factum id esse abs te arbitrer,* Mil. 2, 6, 86. *Sapienter factum a vobis,* Bacch. 2, 3, 61. *a me insipienter factum esse arbitror,* Mil. 2, 6, 78. *Omnia, quae tu vis, ea cupio. L. mutua fiunt a me,* Pers. 5, 1, 14. *Neque ab iuventute ibi irridiculo habitae* (sumus), Poen. 5, 4, 10. *ab illo* (ludibrio habeor), Men. 5, 2, 33. *Nimis tándem me quidem pró barda et pro rústica reor hábitam Esse abs te,* Pers. 2, 1, 2 sq. [4]) *ab homine* (aegritudo obiecta est), Bacch. 3, 6, 10. *Nunc mihi reddi ego aequom esse abs te, quicum cubitem, censeo,* Stich. 4, 1, 42. *Siccine mi abs te bene merenti male refertur gratia,* Pseud. 1, 3, 86. *Relictusne abs te vivam,* Truc. 2, 4, 64. *nolo ego fores conservas Meas á te verberarier: sane ego sum amicus nostris,* Asin. 2, 3, 6 sq. [5])

---

[1]) Vulg. *verum — Comiter;* Reiz. aliam versuum descriptionem proposuit.

[2]) Verba praecedentis versus *Poeta atque* in hunc sunt transferenda, ut plenum efficiant tetrametrum bacchiacum.

[3]) Turbati sunt numeri huius scenae; primi tamen quattuor versus manifesti sunt bacchiaci, item v. 12 et 14, quamvis alter corruptus, sed facile emendandus. Nec v. 13. constare poterit, nisi bacchiaco numero, dummodo *edepol* in *pol* mutaveris et *que* deleveris. Eademque *edepol* in *pol* mutandi necessitas est Aul. 4, 4, 3.

Ego pol te, praestigiator, miseris iam accipidm modis.

Weisius servavit vulg. *edepol,* sed *praestigiator* alteram syllabam semper producit, quod haec exempla satis probabunt: Amph. 2, 2, 150. 200. Capt. 3, 3, 9. Poen. 5, 3, 6. Truc. 1, 2, 32:

Ait pol haec praestigiatrix múlier multo máxuma est.
Néscio quis praestigiator hánc frustratur múlierem.
Opérta quae fuére, aperta súnt, pátent praestigiae.
Praestigiator hic quidem Poenús probust.
Nunc múlier facta est éx viro: mala és. A. praestigidtor.

Quodsi Alcimus Avitus, quinti post Chr. n. saeculi poeta, secundam syllabam corripit hoc versu (5, 471.):

Praestigiaeque diu nebulosa in fraude peractae.

iam id labentis latinitatis indicium est existimandum. Sed ut ad propositum Cistellariae locum redeamus, v. 14. vulgo ita legitur: *Quae vos arbitrabor velle, ea ut expetam.* Pareus in ipsa fabula exhibet *arbitror* cum omnibus Mss. suis et *expetes* cum V. C. et quattuor Pall.; idem invenitur in Lips. et ed. pr.; Pal. 4. *expetam,* sed idem adscriptum servat illud *expetes.* Addit Pareus: „V. C. videtur post *expetes* desiderare aliquas voces.“ Verum Gronovius non *voces,* sed *litteras* aliquot deesse in fine existimat recteque *expetessam* scribendum censet. Hinc oriuntur duo bacchiaci:

Lubénti pol dnimo factum ét fiet d me,
Quae vós arbitrdbor velle, éa ut expetéssam.

[4]) W. alterum *pro* omittit.

[5]) Vulgo *meas | A* et post *nostris* additum est *aedibus,* quod manifesto a numeris segregatur, atque omiserunt recentes editores. Infinitivi passivi in *er* forma saepe apud Plautum invenitur, sed quan-

II. Movetur aliqua res ab aliquo loco nulla loci ad quem perveniat ratione habita; eo enim tantum consilio movetur, ut ab aliquo loco removeatur et discedat. Nonnunquam quidem universa quaedam loci ad quem perveniat significatio adiecta reperitur, velut *in malam crucem*, sed *removendi* primaria est notio. Deinde res aliqua *iam remota* cogitari potest,

---

quam exempla eius nondum congessi, tamen, nisi memoria omnino me fallit, in fine tantum versuum; praeter hunc Asinariae locum alterum in Rud. 2, 3, 37. deprehendi, ubi in medio quoque versu illa forma certo legitur. Sed est is versus item, ut in Asinaria, iambicus septenarius:

videmus

Ad sdxa navem férrier: properdns exsolvi réstim.

isque locus in medio versu, quem asynartetum comici Romanorum poetae esse voluerunt, omnino est comparandus cum ipso totius versus fine; itaque etiam hiatus saepissime admittitur et brevis syllabae productio eaeque vocabulorum formae, quae alias in exitu tantum versuum apparent, ut ostendimus de *periculi* vocabulo in lib. supra allato p. 21. Haud dubie igitur male meruerunt de Plauto editores, qui in aliis versuum locis alioque in genere versuum illa infinitivi forma illata veram scriptoris manum se restituisse sunt opinati. Cuius rei aliquot certe exempla proponenda censeo, etsi multo pluribus locis in eodem genere ab editoribus recentissimis peccatum esse suspicor. Unus est locus Trin. 1, 2, 66.

Haec cum aúdio in te dícier, excruciór miser.

Camerarius *dicier* scripsit et vulgata retinuit; *Mss.* Parei, certe Θs, *dicis*, L. Pr. reliquaeque edd. *dici*; idque Lindemannus quoque servavit adiecta adnotatione, *dicier* ferri non posse, quia *er* ultima infinitivi nunquam corripiatur apud scenicos. Ad rem tam incredibilem probandam certa debebat proferre exempla ex illis scriptoribus. Sed nec fecit id nec facere poterit nec rationem excogitabit, cur scenici in hac re omnino ab epicis poetis discesserint, apud quos producta illa terminatio non invenitur. Sin autem in exeuntibus versibus illa terminatio producta invenitur eo versus loco, in quo quaevis syllaba brevis recte collocatur, non potest ex eo colligi, illam syllabam quovis versus loco fuisse productam. Itaque per numeros in hoc Trinummi loco defendi quidem potest *dicier*, quanquam hoc versus loco incommodus est anapaestus in duobus vocabulis distinctione etiam disiunctus, sed codicum auctoritas potius hiatum ferendum suadet, quam ut dubiam meo quidem iudicio vocabuli formam in scriptores veteres inferre audeamus. Verum vestigia codicum eo nos videntur ducere, ut etiam hiatum, etsi alias propter codicum auctoritatem nullamque aliam corruptelae suspicionem saepe ferendum, evitemus. Mira enim illa *s* littera in fine *dicis* vocabuli non casu quodam videtur in cȯdd. fide omnino satis dignis apparere, sed fortasse *dici, discrucior miser* legendum, ita ut CEX ortum putandum sit ex DIC. Accedit quod tria suppetunt exempla Plautina, in quibus *discrucior miser* iuncta sunt, nullum praeter hunc Trinummi locum profertur, in quo *excrucior miser* sit dictum. Casina enim 2, 3, 58. legitur *Ego discrucior miser amore;* Bacch. 3, 3, 31. *Propter me haec nunc meo sodali dici, discrucior miser;* Poen. 1, 2, 155 sq. *Méne ego illaec patidr praesente dici? discrucior miser, Nisi ego illum iubeo quadrigis cursim ad carnuficem rapi.* In quibus postremis duobus exemplis eadem est memorabilis compositio vocabulorum *dici, discrucior miser* distinctione etiam interposita, quam compositionem in Trinummi loco coniectura restituendam censemus. Tametsi nulla nobis succurrit ratio, qua Plautum ostendamus maluisse dicere *discrucior miser* quam *excrucior miser* et discrimen aliquod statuisse inter utrumque verbum, nec, quum aliorum fide in congestis his exemplis nitamur, affirmare licet constanter ita locutum esse Plautum: tamen quum nullum alterius verbi exemplum ita coniunctum cum *miser* a lexicographis indicumque Plautinorum auctoribus afferatur praeter hoc ipsum Trinummi idque suspicionem moveat, haec coniunctura supra a nobis proposita omni dubitatione libera nobis videtur. — Alter locus est Truc. 2, 1, 9.

Actútum fortunaé solent mutdri, varia vita est.

ita ut distantia unius ab altera re indicetur, et proprio et translato usu. Denique *ab* praepositio dicitur, quum res ab aliquo loco est repellenda, in quo nondum est, sed ad quem hostiliter accessura est cogitanda; idem fit, quum res aliqua iam pulsa cogitari potest nec unquam locum *ab* praepositione indicatum attigit.

---

in quo vulg. contra numeros *mutarier* cum Pareo et ed. pr. Sed *Mss.* Parei et Θs *mutavit*, quod qua ratione ortum sit difficile est ad explicandum; *mutari* certe et ob numeros et ob sententiam est necessarium. — Tertius locus est in Bacch. 5, 1, 18.

Certo hic prope me mihi nescio quis loqui visus est. Sed quem video?

ita codd. et edd., quibus usus est Ritschelius, praeter Parei ed. alt., quae *visust* exhibet, idemque Herm. scripsit in el. d. m. p. 415. Bothius olim *loquier visust*, nuper *visus loqui est;* prius Ritschelius ut satis probabile in minore Bacchidum editione excudi iussit. Tum de numeris quoque dubitatio est; Herm. enim v. 18—22. huius scenae anapaesticos catalecticos censet, trochaicos octonarios secundum Acidalium olim Both., iambicos et trochaicos mixtos idem nuper; Ritschel. praeter v. 19., qui est dimeter troch., reliquos omnes octonarios trochaicos descripsit. Neque nos huic descriptioni adversari volumus; iam enim anapaesticus numerus prodeunte nova persona in trochaicum mutari videtur. Tamen probari non potest infinitivi *loquier* forma hoc versus loco per coniecturam illata. Probabilior est verborum transpositio ab Acidalio facta:

Cérto hic prope me mihi loqui nescio quis vísust. Séd quem video?

Atque, ni fallor, amat Plautus eam verborum *nescio quis* collocationem, ut ictus in mediam *nescio* vocabuli syllabam cadat; idem certe haud dubie exemplorum numerus hoc ictu pronunciandorum reperietur atque eorum, quae dactylica aut cretica mensura sunt dimetienda. Cuius rei documento haec licet exempla proferre ex Amph. 1, 1, 175. 2, 1, 58. 5, 1, 11 sq. Curc. 5, 2, 48. (ubi vulg. *tum ibi*). Most. 3, 2, 73 sq. (ubi vulgo *laudasse*). Men. 5, 7, 13. (ubi vulg. *vostrorum*). Mil. 2, 2, 18. Merc. 2, 1, 34. Rud. 1, 2, 9. (malim *hic* cum R.). Truc. 2, 3, 15:

Cérte enim hic nescio quis loquitur. S. sálvos sum, non mé videt.
Huic homini nescio quid est mali mala obiectúm manu.
Ubi quisque institerat, cóncidit crepitu. ibi nescio quis maxuma
Vóce exclamat.
Ego pértimesco: ibi mé nescio quis arripit.
Nam sibi laudavisse hásce ait architéctonem
Nescío quem, esse aedificátas has sané bene.
Erúm meum indignissume nescio qui sublimém ferunt.
de tégulis
Módo nescio quis inspectavit vóstrum familiárium.
Collibitum est illud mihi nescio qui visere.
Prope me hinc nescio quis lóquitur. D. heus, Scepárnio.
Nescío quem praestoláta est: credo, militem.

Dactylica mensura suppeditatur his novem exemplis ex Amph. 1, 1, 176. 2, 2, 200. Asin. 2, 2, 19. Epid. 5, 2, 25. Mil. 2, 2, 11. 2, 3, 17 sq. Pseud. 2, 3, 27. Rud. 2, 7, 3. Trin. 3, 1, 22:

Nésciŏ quém loqui autumat: mihi certo nomen Sosia est.
Nésciŏ quis praestigiator hanc frustratur mulierem.
Nóstro devincti beneficio. L. vinctos nesciŏ quós ait.
Trágulam in te iniicere adornat: nésciŏ quám fabricám facit.
Nésciŏ quid malefactum a nostra huic familia est, quantum audio.
Atque ego illa aspicio ósculantem Philocomasium cum altero
Nésciŏ quo adulescénte. P. quod ego, Scéledre, scelus ex te aúdio?
Vénit eccum Calidórus, ducit nésciŏ quém secúm simul.

1. *Abeo abs te*, Amph. 1, 1, 33. *Abeo ab illis*, Capt. 3, 1, 27. *abeo ab illo*, Curc. 2, 3, 70. *Ego abeo a te*, Mil. 2, 5, 68. [1]) *Eatenus abeunt a fabris* (i. e. eorum disciplinam relinquunt), Most. 1, 2, 50. *quin citius iam a foro argentarii Abeunt*, Pers. 3, 3, 37. *sinite abeam, sī possum, viva a vobis*, Mil. 4, 2, 92. *Quom abs te abeam*, ib. 4, 8, 33. *potin' a me abeas*, Cas. 3, 6, 10. *Proin tú ne quo abeas lóngius ab aédibus*, Men. 2, 2, 52. *dicam ut á me ábeat liber quo volet*, ib. 5, 7, 54. *per gratiam Bonam abeat abs te*, Mil. 4, 3, 33. (oravit) *Ab se ut abeat — Athenas*, ib. 4, 4, 10. [2]) *priusquam a me abiret*, Bacch. 4, 9, 107. *Clánculum ábii á legione: óperam hanc surripui tibi*, Amph. 1, 3, 25. [3]) *egone abs te abii*, ib. 2, 2, 111. *póstquam abs té abii* (i. e. a Neptuno, e mari), *álgeo*, Rud. 2, 6, 44. [4]) *a me abiit*, Amph. 2, 1, 59. *abiit a me*, ib. 2, 2, 9. *postquam abs te abiit*, Mil. 4, 8, 21. [5]) *qui hinc a me abierunt modo*, Poen. 3, 3, 76. *An sis abitura a tuo viro*, Men. 5, 1, 23. *abi in malum cruciatum ab aedibus*, Aul. 3, 3, 11. *abi in malam rem maxumam a me*, Epid. 1, 1, 72. *Quin tu hinc is a me in maxumam malam crucem*, Rud. 2, 6, 34. *Abin' hinc a me*, Amph. 2, 2, 227. *Abin' a me, scelus*, Bacch. 5, 2, 57. *abite ab istis*, Capt. 2, 1, 20. *Abin' hinc ab oculis*, Cas. 2, 4, 23. Trin. 4, 2, 147. [6]) *abite ab oculis*, Truc, 2, 5, 24. *ab hac minatur sese abire*, Asin. 3, 3, 14. *datur mi occasio Tempusque abire ab his locis lenoniis*, Men. 3, 3, 29. *non abire possum ab his regionibus*, ib. 5, 2, 83.

Nésciŏ quém metuéntes miserae, nócte hac vero próxuma.
Nésciŏ quid non sátis inter eos cónvenit: celeri gradu
Eŭnt uterque.

Cretica denique mensura in tribus exemplis apparet, Cist. 4, 2, 59. Epid. 2, 2, 7. Men. 2, 3, 55:

Qua aufúgit quaedam nésció quo mihi. Ph. quid id? quid ídnam est?
Nam égo illum audivi in amórem haerere apud nésció quam fídicinam.
Nésció quem, múlier, álium hóminem, nón me quaéritas.

Dubium est exemplum propter incertos adhuc numeros in Epid. 4, 1, 11., tamen commendatur *nescio ubi*. In quibus etsi non omnia huius usus exempla congessimus, tamen satis ostenditur Acidalium sensu quodam admodum probabili ex diuturna scriptoris lectione comparato ductum in Bacchidum loco verba transposuisse. — Apud Terentium quoque in Andria 3, 2, 20. exemplum illius infinitivi in *er* terminati in medio versu ex Ritteri quidem editione invenitur:

Min'? D. ého an tute intelléxti hoc adsimularier? S. inrideor.

in plerisque quidem Faërni codd. *adsimularier* sive *assimularier* legitur, apparet tamen non in omnibus ita esse scriptum; praeterea libri mss. *Mihin' quisquam?* Utrumque stare nequit, itaque recte Bentleius *Min' quicquam* et *adsimulari* videtur scripsisse, quum hoc aliquam certe moveat suspicionem, illud nullam.

1) Θps, L. Pr. om. *a te*, Δp *ab eo te*, postea autem *te* expunctum; etiam v. 69. non est integer; fort. mendum alibi residet.

2) Vulg. *ab* deest, etiam in ΔΘps.

3) Suspectus est hiatus, primus certe in *abii*, sed non una est emendandi ratio; quod vero W. recepit *Cl. huc abivi a l.*, id omnino reiiciendum, nam nemo unquam *abivi* scripsit.

4) ΔΘps, V. L. Pr. S. *postquam* pro vulg. *posteaquam*, Δp etiam *a*; Both. *postquam — ted.*

5) Vulg. *abit.*

6) Vulg. *Abi*, em. Herm., recepit W.

Próperas, an non, propere abire actutum ab his regionibus, Trin. 4, 2, 141.[1]) *Ea demoritur te atque ab illo cupit abire,* Mil. 4, 1, 23.[2]) *Quin tu illam iube abs te abire, quo lubet,* ib. 27. *fateor — fallaciis Abiisse eum abs te,* Capt. 3, 5, 21. *dicas — Hinc senem abs te abiisse, postquam feceris divortium,* Mil. 4, 4, 31. *iam censes patrem Abiisse a portu?* Merc. 1, 2, 110.[3]) *Ab domo abeundum est mihi,* Aul. 1, 2, 27. *Aliter hinc a nobis, ne sis frustra* (int. *non abibis),* Mil. 5, 29. *Puer aberravit inter homines a patre,* Men. pr. 31. *Inter homines me deerrare* (memini) *a patre,* ib. 5, 9, 54. *abscede ab ista,* Cas. 3, 5, 6. *ab aedibus,* Most. 1, 1, 7. 2, 2, 29. *ab ianua,* Most. 1, 1, 8. 2, 2, 80. *tu a me,* Poen. 1, 2, 151. *ego abscessi solens Paulum ab illis,* Epid. 2, 2, 54. *equidem haud usquam a pedibus abscedam tuis,* Most. 3, 2, 170. *ego hinc abscessero abs te huc interim,* Mil. 2, 2, 45. *me suspendam clanculum Saltem tantisper dum abscedat haec a me aegrimonia,* Rud. 4, 4, 146. *Concede huc a foribus,* Men. 1, 2, 48. *c. audacter ab leonino cavo,* ib. 49. *C. huc, mea nata, ab istoc quam potes longissume,* ib. 5, 2, 81. *Concedam a foribus huc,* Most. 2, 1, 82. *At pol ego abs te concessero,* Pers. 1, 1, 51. *discesti ab ero,* Asin. 2, 1, 3. *Nae iste hércle ab ista non pedem discedat,* ib. 3, 3, 13. *Proin tu ab istoc procul recedas,* Capt. 3, 4, 19. *ego abs te procul recedam,* Mil. 2, 4, 4.[4]) *Quid tu tristis es? quid ille autem abs te iratus destitit,* Men. 5, 2, 27. *Quid tu tristis es? quid illa autem irata abs te destitit,* ib. 59.[5]) *Ubi illa est, obsecro, quae me hic reliquit atque a me abstitit,* Truc. 2, 6, 32.[6]) *Ab impudicis dictis* (Lind. *factis)*

---

[1]) Vulgo *properas abire,* quo singularis oritur correptio verbi *abire* retracto per elisionem accentu; quod etsi saepe fieri videtur, tamen ni fallor tum tantum est ferendum, quum quae elisione finalis facta est syllaba num producta maneat an corripiatur per numeros nihil refert, velut *sécede huc* et similia. Nec pertinet huc correptio ultimae longae in disyllabis vocabulis, velut *tácĕ, vídĕ, ábĭn,* nam hoc ipsum quanquam ex *abisne* ortum nunquam tamen nisi disyllaba hac forma invenitur. Itaque haud scio an recte senserint Hermannus et Bothius, *abire* media correpta removendum esse rati, ille scribendo *ire* pro *abire,* hic admodum probabiliter: *Próperas, an non, própere abire.* Quod unum Lindemannus ex Capt. 2, 1, 20. (24. L.) attulit exemplum *abite,* non ita certum est, ut quidquam probare possit. Nam vehementer dubitare licet de veritate tetrametri cretici:

Abĭte ab istis. T. obnoxĭi ámbo vobis sumus.

in quo praeter illud *Abite* etiam synizesis et elisio in *obnoxii* gravem movet suspicionem.

[2]) Vulg. *incipit* cum Δp, Θp *oCipit,* Θs *cipit,* L. *cepit,* Pr. *coepit,* Lind. et W. *cupit.*

[3]) Θs et L. falso *Abisse.*

[4]) Ambr. palimps. EGO...PROCUL, Δr a m. pr. et Θr ut vulgo, Δr a m. sec. *abs te ego procul;* Ritsch.: *ego huc procul.*

[5]) Vulgata *quid illam autem iratam abs te destituis* manifesto corrupta est; ΔΘps *trixes,* Δp in margine *tristis;* Θs *illa — dedistitus.* Certissima est emendatio iam ab aliis proposita; nihil enim est discriminis inter v. 27. et 59., nisi quod illo loco senex sermonem convertit ad filiam, hoc Menaechmum alloquitur.

[6]) Vulg. *obsecro, est* cum codd. et *atque abstitit* omissis *a me.* Δp *eabse abisti;* num *atque* in eodem Δ sit, non liquet ex Parei adnotatione, quanquam ex litterarum formis in ipsa fabula colligere licet; Θs *reliquit abse abisti* spatio parvo inter *reliquit* et *abse* vacuo; eadem vocabula exhibet Pr.; Pareus *reliquit atque ea ab se abiit;* Goell. *reliquit et abs me destitit,* in quo *abs me* omnino ridiculum est; idem in adnotatione ad hunc locum serio coniicit *destituit,* quod choriambus in exitu versus iambici et trochaici non sit rarus, allegatque ad eam coniecturam firmandam Osann. Anal.

averti volo, Amph. 3, 2, 46. *Ob eam causam huc abs te averti*, Mil. 4, 2, 82. [1]) *ut dudum divorti abs te* (i. e. abii), Men. 4, 2, 71. *abs te sum egressus intus* (i. e. e domo tua),

crit. p. 134 sq. Qui liber quum non sit mihi nunc ad manum, non licet rationes cognoscere, quibus nisus Osannus mirabilem illam sententiam defenderit. Sed nunquam mihi persuadebitur rem illam unquam esse factam, in Plauti certe fabulis nullum choriambi exemplum pro extremo cretico in versibus trochaicis et iambicis reperitur, quin sit corruptum. Et res omnino tantopere repugnat omni rationi, ut pessimum poetam iudicem, qui sciens tale quid admiserit. Sed redeundum est ad recensendam lectionis varietatem; W. igitur *Ubi illa, obsecro, ést, quae me reliquit hic atque abstitit;* Both. *U. i. e. o. q. m. h. reliquit? — Obscaevasti!* versumque facit iamb. septenarium, qui num probabaliter sit illatus, iam ex iis, quae supra de numerorum variatione disputavimus, apparet; sed ne nimium ibi polliciti esse videamur, eandem rem in hac ipsa Truculenti scena persequemur. Tota scena efficit versus undeseptuaginta, omnes omnium excepto Bothio editorum indicio trochaicos septenarios. Sed Bothius consilio quodam variationem numerorum ubique quaerens in his versibus ab reliquorum editorum iudicio sibi recedendum putavit iambicosque octonarios statuit vv. 11. 23. 28. 30. 50. 51. 52. 55., troch. octonarium v. 20., iamb. septenarium v. 32.; quattuor asynartetos, et quidem v. 36. compositum ex dimetro troch. et iamb. dim. cat., vv. autem 26. 49. 54. compositos ex dim. troch. et dim. iamb. acat. Quam multiplices numerorum variationes in scena simplicissima, omnino trochaicis septenariis decurrente! Ac primum quidem iambici illi octonarii sine negotio plerique removeri possunt; quid enim prohibet v. 11. et 30. *illi* prima correpta, v. 50 et 52. *iis* et v. 51. *Suae* ut monosyllaba vocabula pronunciare? De eiusmodi rebus iam non debent ambigere, qui Plauto opem sunt laturi. Maiorem sane parant difficultatem vv. 23. 28. 55.

Venire salvom.... St. scio: sed peperitne, óbsecro, Phronésium?
Here nudiusquintus natus quidem ille est. St. quid postea?
Hem, mea voluptas, attuli eccam pallulam ex parva Graecia tibi.

V. 23. sermo interpellatus est cupiditate Stratophanis; is enim non patitur Astaphium salutationem absolvere. Intelligenda sunt verba *te gaudeo.* Goell. et Weis. *Venire* pro trochaeo positum censent, haud probabiliter, ut supra eandem correptionem in vocabulo *abire* non potui probare; alia enim sunt exempla, velut *voluptas* et similia, quorum media non vocali ipsa producitur. Depingenda est h. l. nimia morae impatientia in homine, qui alias res quaerendi cura captus ne solitam quidem accipere et reddere salutem commodum putat. Ad eam rem quam paucissima verba sunt aptissima, dummodo indicent quam sententiam sint propositura. Quae vero maxime me movet, ut de mutato numero dubitem, ea est causa, quod nunquam memini me in eiusmodi salutatione numeros mutari, si iam nonnulla salutandi verba praegressa sunt numeris primariis, ut h. l. v. 22. *salve ecastor, Stratophanes.* Itaque fort. *Venire* ab interprete est profectum scribendumque *Sálvom te .... —* V. 28. ita in Θs et haud dubie etiam in Δ legitur, ut vulg. scribitur, non mutato ordine *natus est quidem ille,* neque inserto *tum* post *quid;* sed ita versus stare non potest. Editores varie emendare studuerunt numeros, sed nemo ad repugnantiam inter *Here* et *est* animum advertit; debebat dici aut *Here — fuit* aut *Hodie — est;* si utriusque nobis optio datur, praeferimus *Hodie* et merito quaerimus, quum dies singuli numerentur, cur a proxime superiore numerare incipiat Astaphium neque graviore etiam ratione puerum adversus ineptias militis defendat. Praeter illam mutationem nihil videtur mutandum nisi *quidem* in *equidem,* quae particulae saepe confunduntur, non transpositis verbis *natus est quidem ille* neque *tum* post *quid* inserto. — V. 55. *Hem* particula extra versum censenda est; vulgo alias adnectitur praecedenti versui; sed saepe omnino non potest includi iustis numeris videturque similiter ut nostrum ḫm pronunciatum esse; sed nondum omnino mihi res illa explorata est. Ceterum recte B. *Phrygia* pro *parva Graecia* emendavit. — V. 20. tam est corruptus tantaque vocabulorum monstra in duobus Pall. codd. exhibet, ut perdifficile sit ad veram

Epid. 3, 2, 44. *Illuc regredere ab ostio*, Aul. 1, 1, 7. *fugiat longe ab aedibus*, Most. 2, 1, 43. *Ubi quid credideris*, *citius extemplo a foro Fugiunt* (argentarii), Pers. 3, 3, 30. *fugat ipse se a suo contuitu*, Trin. 2, 1, 28. [2]) *Censebam me effugisse a vita marituma*, Bacch. 2, 3, 108. *Scio et sentio ipse quid agam*, *néque a me ófficium migrat*, Trin. 3, 2, 13. [3]) *post-*

Plauti manum accedere; illud vero certum est, ordinem verborum non suadere octonarium, sed septenarium; B. tamen transposuit illa verba. Extremus versus fortasse est: *an me malo* (*maleficio* enim ab intreprete videtur profectum) *vincere est?* Quodsi primam Bothianae emendationis partem retinemus, integer versus erit:

Quid ad hoc egeo té, malum, admonitrice? an me malo vincere est?

quanquam haud scio an verbi *est* notio non satis sit Plautina. — V. 36. vulgo sic legitur:

Grátulor, cum mihi tibique mágnum dedisti decus.

pessumdatis in fine numeris. Pall. codd. omnino consentiunt cum vulg., praeterquam quod *deristi* pro *dedisti* exhibent; certissima est Goelleri emendatio *peperisti*. Item vv. 26. 49. 54. asynarteti sunt de Bothii sententia; eorum primum tantum adscribam:

Méus est, scio iam de árgumentis. A. nímium quidem simili'st. St. papae!

nam in reliquis duobus *tibi ĕccas* et *cédo ĭstam* nemo in dubitationem vocabit. Quae superest in his versibus lectionis discrepantia, eam omittimus, nam non pertinet h. l. ad rem. Redeamus igitur ad v. 32, a quo digressi sumus; in eo pro suspecto illo *obscaevasti* haud dubie cum Acidalio legendum *atque a me abstitit*. Eiusdemque verbi usus comparet Mil. 2, 2, 46. *Quemadmodum abstitit severa fronte curas cogitans.* Ita certe in Parei *Mss.* legitur, quanquam alii *adstitit* sive *astitit* praeferunt, ut Lind. cum ed. pr.

1) Eadem intransitiva verbi *vertere* vis videtur restituenda Rud. 4, 3, 60.

Tu hércle, opino, in vidulum piscém convortes, nisi caves.

pro vulg. *opinor* — *te piscem*; Both. *Tu h. in vidulum, opinor, piscem te conv. n. c.;* facilius, si *te* omnino retinendum putasset, reliquis non mutatis *vortes* scribere poterat.

2) Lind. cum cod. Lips. *contutu;* numeri nondum satis sunt certi, ut res diiudicari possit.

3) Pareus cum *Mss.* suis *neque meum se off. m.*, *Os m se* (merse; *u* superscr.) pro *a me*, L. Pr. W. tuentur vulgatam, Reiz. usus auctoritate loci cuiusdam ex Titinnio apud Non. p. 2.

Quot péstes, senia et iurgia sese aedibus emigrarunt.

neque se a me off. m. scribendum censuit, quem secutus Lind. comparari iubet *se penetrare* Trin. 2, 2, 1. Quod exemplum Titinnii etsi primo adspectu satis probat dictum aliquando esse *se emigrare*, nec quidquam contra coniecturam Gifanii, qui primus illo loco (ut refert Pareus in lex. s. v. *Verba neutra active posita*) *sesemet* emendavit — quanquam etiam scribere poterat *iúrgia ex aéd.* cum hiatu legitimo in *iurgia* — volumus monere: tamen vereor ne non satis recte coniectura in sola coniectura nitatur apud scriptores, quorum scribendi genus num unum idemque an diversum fuerit omnino nescimus. Nam Plautus aliquoties quidem usus est *migrandi* vocabulo eiusque compositis, velut *adm.*, *comm.*, *dem.*, *imm.*, *remigrare*, sed nunquam transitiva notione addito obiecto sive pronomine sive nomine. Verbi *penetrare*, quod ad sustentandam illam lectionem attulit Lindemannus, longe alia videtur esse ratio; eius enim verbi exempla haec afferuntur: Amph. 1, 1, 94. *Perduëlles penetrant se in fugam;* Men. 2, 3, 49. *neque huc Unquam — intra portam penetravi pedem;* ib. 5, 2, 64. *Si ego intra aedis huius unquam — penetravi pedem;* Trin. 2, 2, 14. *quin prius Me ad plures penetravi;* ib. 33. *Ne penetrarem me usquam;* Truc. 1, 1, 23. *Eaque intra pectus se penetravit potio.* Contra unum tantum intransitivae notionis exemplum affertur ex Bacch. 1, 1, 33. Itaque haud scio an Trinummi loco allato abstinendum sit coniectura usu scriptoris non firmata; nam etsi illud *se* re vera in antiquissimis codd. invenitur, tamen locus est corruptus et emendatione eget; interim in vulgata acquiescendum puto, et sententia et usu commendata, nisi quis *néc meum a me óff. m.* praeferre voluerit aut aliud melius proposuerit.

quam hercle isti a mensa surgunt, Pseud. 1, 3, 62. [1]) *Manús mihi date, éxsurgite á genibus ámbae*, Rud. 1, 5, 22. [2]) — *nisi mors meum animum abs te abalienaverit*, Curc. 1, 3, 18. *Istuc crucior, a viro me tali abalienarier*, Mil. 4, 8, 11. *Mulier alienata est abs te* (empta enim erat a patre), Merc. 3, 4, 26. *Si illa* (amica) *a me abalienatur atque abducitur*, Pseud. 1, 1, 93. *Nostramne vis nutricem* (agrum), *ere, quae nos educat, Abalienare a nobis*, Trin. 2, 4, 111 sq. *Quin hic quidem cupit illum* (agrum) *ab se abalienarier*, ib. 156. [3]) *abdúce me hinc ab hac*, Bacch. 4, 9, 108. *canem istam a foribus aliquis abducat face*, Most. 3, 2, 167. [4]) *ni properem illam ab sese abducere*, Merc. 2, 1, 19. *sese ab simia Capram abduxisse* (dicit), ib. 25. *Dum me videatis servom ab hoc abducere*, Poen. 3, 5, 41. *vos a vostris abduxi negotiis*, Rud. 1, 2, 1. *Nosque ab his* (maritis) *abducere volt* (per divortium), Stich. 1, 1, 17. [5]) *Abigám iam ego illum ádvenientem ab aédibus*, Amph. pr. 150. *Fac A. adv. ab aedibus Ut abigas*, ib. 3, 3, 23. *si te edentem hic a cibo abigat*, Curc. 1, 3, 30. *tandem uxorem abegi ab ianua* (intus in domum), Men. 1, 2, 18. *ni hunc a te abigo*, Truc. 2, 7, 59. [6]) *Abige abs te lassitudinem*, Merc. 1, 2, 3. *Nam equidém me iam, quantum potest, a vita abiudicabo*, Asin. 3, 3, 17. *Númquam hercle hodie abiudicabit ab suo* (servo) *triobolum*, Rud. 4, 3, 100. *Abiudicata a me modo est Palaestra*, ib. 5, 1, 3. *Quom me amisisti a te vix vivum modo*, Most. 2, 2, 2. *Quó die Orcus áb Acheronte mortuos amiserit*, Poen. 1, 2, 131. [7]) *apage te a me*, Amph. 2, 1, 32. *Apage, ápage te a me*, Most. 2, 2, 6. *Ap. a me, ap.*, Bacch. 1, 1, 31. 40. *apage te a dorso meo*, Cas. 2, 8, 23. *Ap. illum a me*, Epid. 5, 2, 8. *Ap. istas a me sorores*, Bacch. 3, 1, 5. *Ap. istum a me perductorem*, Most. 3, 2, 159. *ap. a me istum agrum*, Trin. 2, 4, 136. *ultro istum a me* (int. *apage*), Capt. 3, 4, 19. *duc te ab aedibus*, Bacch. 4, 2, 11. *Iussin — ab iánua hoc stércus hinc auférri*, Asin. 2, 4, 18. *tu auferere hinc a me* (plagis male habitus), Curc. 4, 4, 13. *Amovi a foribus maxumam molestiam*, Amph. 1, 2, 2. *Narrabit servom hinc sese a foribus Sosiam Amovisse*, ib. 5. *discipulum semidoctum abs te amoves*, Asin. 1, 3, 74. *Etiám tu, ére, istunc amoves abs te atque ipse me aggredire*, ib. 3, 3, 124. [8]) *Haud male illanc a me amovi*, Men. 5, 2, 100. [9]) *Vin' tu illam actutum ámovere a te, út abeat per gratiam*, Mil. 4, 1, 32. [10]) *Quin tu abs te secordiam omnem reice et segnitiem*

---

[1]) Verba *saturi, poti,* quae in fine versus post *surgunt* etiam in Θs, L. Pr. leguntur, corrupta sunt censenda, quanquam recentissimus editor intacta reliquit. Δp *satura* exhibet, ut Pareo videtur, a m. sec. Fortasse legendum *saturata cute.*

[2]) Reiz. *mi* nulla necessitate; nam ante consonantem rarissimum est *mi* pro *mihi,* fortasse nusquam certum.

[3]) Vulg. *sese,* em. Lind.

[4]) *Aliquis* vulg. abest.

[5]) Anapaestici videntur numeri; W. *iis nunc* pro *his* auctore Herm. el. d. m. p. 391.

[6]) Vulg. *nisi.*

[7]) Δp *acherunte.*

[8]) Δp et Pr. *aggredere,* idem coniecit Acid.; tum necessario *me ipse* transponendum. Weisius *ipse* omisit et *aggredire* retinuit, quod verius videtur.

[9]) *A me* numerorum causa inseruit Both., recte ut videtur.

[10]) Vulg. *amovere, a te ut;* Pareus: *a te?* Videtur *a te* ad utrumque verbum pertinere, ita ut apud alterum intelligatur.

amove, Asin. 2, 1, 6. *Suspicionem ab adulescente amoveris*, Trin. 3, 3, 54. *Move abs te moram*, Capt. 4, 2, 10.[1]) *lăbra á lăbris nusquam auferat*, Bacch. 3, 3, 76.[2]) *cum te pater a patria avehit*, Men. 5, 9, 56. *Nusquam me a te avellès*, Bacch. 5, 2, 84.[3]) *Nósque ab signo intimo* (in Veneris fano) *vi deripuít sua*, Rud. 3, 3, 10. *Haéc verecúndiam mi ét virtutis modum Deturbavit, texit detexitque a me illico*, Most. 1, 2, 59 sq.[4]) *nos cum scapha tempestas dextrovorsum Differt ab illis*, Rud. 2, 3, 38 sq. *Digitum longe a paedagogo pedem ut efferres aedibus*, Bacch. 3, 3, 19. *me — a portu — excitavit* (i. e. abegit), Amph. 1, 1, 10. *Quae me non excludet ab se* (i. e. domo sua), Men. 4, 2, 108. (dicebat) *exhaurire me quod quirem ab se domo* (i. e. omnia auferre, subducere), Merc. 1, 1, 55.[5]) *quin tua causa exegit virum a se* (i. e. e domo sua), Mil. 4, 6, 62. *Iam hinc olim invitum domo éxtrusit áb se*, Merc. 2, 3, 22.[6]) *neque latebrose me abs tuo Conspectu occultabo*, Trin. 2, 2, 2.[7]) *me — oportet — hunc — malitia a foribus pellere*, Amph. 1, 1, 113. *Quó dolo a mé dolorém procul pélleram*, Most. 3, 2, 27. *Nam me hodie senex seduxit solum seorsum ab aedibus*, Asin. 2, 2, 95. *Ita iuventus iam ridiculos inopesque ab se segregat*, Capt. 3, 1, 10.[8]) *Nunc spes, opes auxiliaque a me segregant spernuntque se*, ib. 3, 3, 2.[9]) *Ille illas spernit segregatque ab se omnes*, Mil. 4, 6, 17. *Suspiciones omnes ab se segregat*, Asin. 4, 1, 29.[10]) *omnes bonos — accurare addecet, Suspicionem et culpam ut ab se segregent*, Trin. 1, 2, 41 sq.[11])

---

1) Vulg. *ab*, sed Pareus et ed. pr. *abs*.

2) Cf. Brix. l. l. p. 37.

3) Lectio est turbata; proxime ad codd. vestigia accedit et verissimum videtur, quod Ritschelius de *C. E. Chr. Schneideri* coni. *Ne tis quam mea mavellem* exscribendum curavit. Lind. in censura l. l. p. 138. *Nunc is, qua non a me avelles* coniecit haud probabiliter, quum *avelles* intransitiva notione vix possit defendi.

4) W. omisit *texit* et *med* scripsit; fort. legendum *Déturbavitque detéxitque a me illico;* in quo si quis offenditur structura sermonis *detexit a me* pro *mihi*, ut re vera legitur 1, 3, 6 sq. *detexit mihi modestiam*, is consideret in *Detegendi* verbo inesse notionem *amovendi* eamque praeterea addito *deturbavit* magis efferri.

5) Ita vulg., sed omnes codd. *domum*, ex quo suspiceris *domu* esse legendum; haec ablativi forma certe Mil. 2, 1, 48. firmata est codd. et ed. pr.

6) Vulg. *sese* contra Θs, L. Pr.

7) Numeri *videntur* esse bacchiaci, sed vix recte fecerit Lind. *nec* | *Latébrose me dbs t. c. o.* antepaenultima *latebrose* vocabuli producta, ad quam rem firmandam *penetravit* e v. 1. attulit; utrumque suspectum, cf. Brix. l. l. p. 37., qui *Latebróse med dbs t. c. o.* pronunciandum putat. Nec quidquam contra monere possum, nisi quod aliqua mihi remanet suspicio de *neque* particula in fine praecedentis versus collocata, non addito ne uno quidem vocabulo eiusdem sententiae. Etsi enim liberiores sunt canticorum numeri quam diverbiorum, tamen quum in diverbiis omnia coniunctivarum particularum exempla in extremis versibus collocata aut certo corrupta aut suspecta sint, etiam canticorum ratio in hoc genere mihi nondum satis videtur constare.

8) Lind. cum codd. Langg. *que* omisit.

9) Δp. et Pall. *me* pro *se*, sed *spernere* idem est quod *secernere, seiungere*.

10) Vulg. *abs*, necessario scribendum putavi *ab*.

11) Ed. pr. *abs*, sed Δp *apse*.

2. *Proxumum quod sit bono quodque a malo longissime*, Capt. 2, 2, 21. *Nae tibi hercle haud longe est os ab infortunio*, Bacch. 4, 2, 13. *visus sum viderier Procul sedere longe a me Aesculapium*, Curc. 2, 2, 11. [1]) *Ingressus fluvium rapidum ab urbe haud longule*, Men. pr. 64. *Sed longe ab Athenis esse se gnatam autumet*, Pers. 1, 3, 71. *Quam longe a me abest?* Curc. 1, 2, 24. *a pecu cetero absunt*, Bacch. 5, 2, 20. *Non longe hinc abest a nobis*, Merc. 5, 2, 53. [2]) *Nam oves illius haud longe absunt a lupis*, Truc. 3, 1, 12. *num ab domo absum*, Epid. 5, 2, 16. *Iam redeo: nimia est voluptas, si diu afueris domo*, Stich. 4, 1, 18. [3]) *Si aberis ab eri quaestione*, Trin. 4, 3, 5. [4]) *At unum a praetura tua — abest*, Epid. 1, 1, 25. *abditivus* (i. e. remotus, seiunctus) *a patre*, Poen. pr. 65. — *ab Atticis abhorreo* (i. e. taedet me Atticorum), Merc. 5, 1, 8. *abs te seorsum sentio*, Capt. 3, 5, 52. *Ita ut pauxillum differant* (cavillationes) *a caulibus*, Truc. 3, 2, 18. [5]) *Atqui nunc abs te stat: verum hinc ibit testimonium*, Rud. 4, 4, 57. [6]) *aliena a bonis* (i. e. mala), Mil. 4, 7, 5. *haud est ab re aucupis*, Asin. 1, 3, 71. *dum ab re ne quid ores*, Capt. 2, 2, 88. *Ab re consulit blandiloquentulus*, Trin. 2, 1, 12 sq. [7]) *Eia, haud ab re, mea voluptas, tibi istic obvenit labos*, Truc. 2, 6, 40. [8])

3. *Ut illos a me absterream*, Men. 5, 2, 79. *a me ut abstineat manum*, Amph. 1, 1, 184. *Solus solitudine ego ted atque ab egestate abstuli*, Asin. 1, 3, 11. *qui ab alieno facile cohiberent manus*, Trin. 4, 3, 12. *prohibete a vobis vim meam*, Capt. 4, 2, 24. *illum ab illa prohibeas*, Epid. 2, 2, 104. — *nec quo ab caveas aegrius*, Asin. 1, 1, 106. *ab eo ut caveas*

---

1) Lamb. coniecit *tuerier;* sed eadem mirabilis verbi *viderier* notio recurrit Rud. 1, 4, 35. *Video decorum dis locum viderier,* ubi Douza coni. *Videor — tuerier,* prius haud dubie recte.

2) *A nobis* vocabula obsunt numeris: delevit W. cum edd. quas vett. vocat, f. recte; nam notio loci, a quo abest, iam satis indicata est in *hinc*.

3) Vulg. *a domo;* W. delevit *a; ΔΘ*p *afueris* pro vulg. *abfueris*.

4) Vulg. *abieris;* em. Herm.

5) Vulg. *differat a cavillulis; ΔΘ*p *a cavillibus*, num *differat* sit in *Δ*, non apparet; *Θ*s *differt acavillibus*; Goell. *differant a cavillibus*, W. *caululis*, ut v. 15. *caullator*, in nota autem: „dubio procul legendum aut *caulibus* aut *caululis*“ censet. Bothius v. 15. *villator* minime vere scripsit pro *caulator;* in v. 16. *Quid id est, amabod? S. istaec ridicularia....;* vulgo nulla personarum distinctio facta est, sed non repugno, dummodo post *istaec ridicularia* non solum interpellati sermonis, sed etiam interrogandi signum ponatur; in eodem v. B. recte *istaec* pro vulg. *istaecce* restituit, in *Θ*s enim et Pr. legitur *istec,* sed inutili illa *d* littera in *amabod* libenter caremus. V. 18. idem ex sua personarum distinctione satis probabiliter coniecit *Ita; at p. differunt a caulibus*. Sententiam totius loci rectissime perspexit Rostius, quanquam caulatorem non satis recte Kohlenmann vertit, is enim *carbonarius* est, nec, quod sciam, omnino vocabula Kohl et kohlen *dicacitatis* notionem in ore vulgi quarundam patriae nostrae provinciarum, sed potius *inanis garrulitatis* et *ineptiarum* sustinent. Tamen perdifficilis est illa verborum ambiguitas ad transferendum in nostram linguam. In verbis Plautinis accedit rustica quaedam vocabulorum *caulator* pro *cavillator* permutatio, utrumque enim similem in ore vulgi habebat pronunciationem, *rabo* pro *arrabo*, ut Praenestinorum *conia* pro *ciconia* (cf. vv. 20—23.).

6) Alii *cibit;* Both. *non* pro *nunc*.

7) Vulg. *ab re* | *C*.

8) Vulg. *obvenit istic,* item Pareus; *Θ*s *t. obv. lab. istec*.

4*

tibi, Cas. 3, 5, 44. *Haec ita me orat, sibi qui caveat, aliquem ut hominem reperiam, Ab istoc milite:* Bacch. 1, 1, 8 sq. (cf. R. ed. et Lind. in cens. l. l. p. 131 sq.) *proin tu ab eo ut caveas tibi*, ib. 4, 4, 87. *Egon' abs te ausim non cavere*, Most. 3, 3, 21. *Sat sapio, si abs te modo uno caveo*, ib. 24. *mi abs te caveo cautius*, Men. 1, 2, 42. *Abs qua* (navi) *cavendum nobis sane censeo*, Men. 2, 2, 70. *In hunc diem a me ut caveant*, Pseud. 1, 1, 126. *Cavendum mi est abs te irato*, ib. 1, 5, 59. *a me caveas*, ib. 96. *petiit — Ut mihi caverem a Pseudolo*, ib. 3, 2, 108. *cave sis tibi a curio infortunio*, ib. 4, 7, 44. [1]) *dixin' ab eo tibi ut caveres centiens*, ib. 129. *Inspicere morbum tuum lubet. S. abi atque cave sis.... A córnu*, Pers. 2, 5, 15 sq. [2]) *Quid est quod caveam? L. hem a crasso infortunio*, Rud. 3, 5, 53. *Ab alienis cautiores sunt*, Pseud. 1, 3, 64. [3]) *semper tu huic verbo vitato Abs tuo viro*, Cas. 2, 2, 35 sq. — *ut deceat nos esse a culpa castas*, Poen. 5, 4, 13. *Ambitio — libera'st a legibus*, Trin. 4, 3, 26. *ab lippitudine usque siccitas ut sit tibi* (i. e. ut semper liber sis a lipp.), Rud. 3, 2, 18.

Adiicienda est brevis disputatio de locis quibusdam, in quibus *ab* praepositio, quae in vulgata Gronovio-Ernestiana editione comparet, locum habere non possit, tum de diversis huius praepositionis formis, denique de *absque* praepositionis usu Plautino. Ad locos corruptos pertinent hi:

1) Cas. 2, 7, 11 sqq.

Atat, concedam huc: audio aperiri fores
Mihi benevolentis, atque a me prodeunt.
Hic ex insidiis hisce ego insidias dabo.

ita vulgo legitur et versu quidem altero etiam in Δp, sed in Pall. et ed. Pr. *benevolenti atque ad me prodeunt.* Perversa est explicatio a Boxhornio proposita; nam etsi *a me* et *ad me* sibi opponuntur et *ad me prodire* recte quodammodo dicitur qui frontem, *a me* qui terga dat, tamen ipsum illud *prodeundi* verbum notionem circumscribit et de domo ex qua itur intelligendum ostendit; ergo *ad me prodit* qui ex alterius domo progressus ad me it, *a me* prodit qui ex mea ipsius domo ad me extra domum versantem procedit: er kommt zu mir heraus, er kommt von mir heraus. Neque aliud quidquam illud *a me*, nisi *e domo mea* significare potest. Iam vero recte monet Gulielmus, servum non potuisse herilem domum aliter vocare nisi *nostram*, *a nobis*; ex quo perspicuum fit, *a me* servari non posse. Fortasse recte idem Gul. emendavit distinctione maxima post *fores* posita:

Mihi benevolentes atque amici prodeunt.

2) Cas. 3, 5, 49 vulgo cum omnibus, ut videtur, codd. et antiquis edd. legitur *exquirere a te*, sed Plautus verba *quaerendi* semper cum *ex* praepositione coniungit; mendum

---

[1]) *Tibi* delendum videtur.

[2]) Deest aliquid ad explendos numeros; W. *cave tibi sis;* potuit vero etiam vocabulum in fine excidere, velut *quaeso*. Pareus *Ah! abi*, quia in Δ est *ahbi*.

[3]) Sed praestat cod. Ambr. lectio: *Postilla omnes cautiores sunt.*

Weisius tacite sustulit. Totus autem versus in vulg. ed. falso divisus inter v. 48. et 49. ita legendus:

P. Quid ést? St. est. P. quid? St. ést quod volo ésquirere éx te.

3) Similiter peccatum videtur Ep. 2, 2, 69. vulgo enim ita legitur:

Haéc sic aiebat: sic audivisse ab se atque ab epistola.

e quibus verbis et septenarius trochaicus et sermo conveniens usui Plautino est eruendus. Pareus *se ab se atque epistula* in fabula ipsa, in nota haec scripsit: „Ita plane V. C. et legit et distinguit, neque aliter Pall. Alii *se aud. ab ea.* — *epistula*] Sic postea V. C. nam antea erat *ab ep.* neque aliter est in Mss. Pall. Alii *ex ep.* praeter omnes libros scriptos." Id Iacob. ita intelligit, ut pro postremo *ab* a correctore postea scriptum esse putet *atque.* Sed planius Gruterus affirmat in V. C. a m. pr. fuisse ut vulgo legitur, neque aliter esse in Pal. 4. nisi quod non iteret *ab.* Prius *sic* teste Grutero deest in Pal. 1. 2., posterius in Pal. 3. 6., praeterea ed. Pr. ut Pal. 1. 2. om. prius *sic* et *se abs se atque epistola* exhibet. Hinc Iacob. recepit: *H. s. a., s. aud. abs ea se ab ep.*, in quo certe *ab* et *sese* ad emendandos numeros scribere debebat. Weisius: *H. se aiebat sic aud. ab ea atque ex epist.*, in quo etsi numeri meliores, mira tamen est *ab* et *ex* praepositionum consociatio. In his praeterea lectionibus intolerabilis est *ab* praepositio apud *audiendi* verbum; semper enim Plautus *audire, scire, scitari, percunctari, intelligere,* denique quaecunque cognoscendi notionem habent, cum *ex* praepositione coniungit. Hinc necessario *ab* removendum est. Deinde recte editores viderunt *se* post *ab* in *ea* esse mutandum; tum satis firmatum videtur *atque*, contra *ab* ante *epistola* ex codd. fide delendum; postremo remanet dubitatio de *sic* particula, num semel delenda sit et utro loco. Itaque emendatio quanquam non difficilis, tamen incerta est; nam quinque rationibus scribi potest, fortasse alii plures etiam excogitabunt:

Haéc sic aibat: sic audivisse éx ea atque epistula.
Haéc aiebat sic audisse se éx ea atque epistula.
Haéc se aiebat sic audivisse éx ea atque epistula.
Haéc se aiebat sic audivisse éx eapse atque epistula.
Haéc aiebat sic audisse se éx eapse atque epistula.

eapse et *ab se* interdum in codd. permutantur, velut Rud. 2, 5, 21. Ceterum v. 68. pro *cedo, ego occidi!* et ob numeros et ob sententiam legendum videtur *certo* aut *certe e. o.*; Δp *cedo* cum glossa supra lin. *dic*, Mss. Pall. omnes *cede*, ex quo vitio *certe* rectius scribi putamus quam *certo*; totus igitur versus hic est:

Id paratum et sése ob eam rem id férre. P. certe ego óccidi!

4) Idem mendum *ab* praepositionis apud *audiendi* verbum tollendum est in Trin. 2, 4, 137. et restituendum:

Magis ápage dicas, si ómnia ex me audíveris.

vulgo enim legitur *omnia a me*, sed *a* nusquam nisi in Lips. cod. comparet, Δpg *omnia me*, Θpgs *omnia mea*, quod recepit Pareus; ed. pr. omnino omittit *a me*, quod non recepissent editores neque tanta fide tam diu tuiti essent, si constantem in hac re usum Plautinum spectassent.

5) Curc. 1, 1, 72 sqq. vulgo ita legitur:

Me inférre Veneri vóvi iam ientáculum.
P. Quid an te pones Veneri ientaculo?
Ph. Me, te átque hosce omnes. Pa. túm tu Venerem vómere vis.

altero versu corrupto; nec pertineret huc is locus, nisi in Pall. quinque, L. ed. Princ. scriptum exstaret *a ientaculo*, in *Δ*p *alentaculo;* in Pal. 1. *V. ientaculi* est. *A* praepositio h. l. omnino non potest dici; nam etiamsi temporis notionem iam Plautus certo ei praepositioni tribuisset, tamen ea h. l. non posset apta iudicari; nam non *post ientaculum* aliud quid h. l. anteponitur sive apponitur, sed ipsum *ientaculum* anteponitur. Ergo aut solus dativus aut *ad, in, pro* dici potest. Propositae sunt duae emendationes, a Bothio altera:

Quid antepones Veneri iam ientaculo?

altera a Weisio:

Quid? an te pones Veneri pro ientaculo?

quod cod. Puteanum teste Lambino exhibere W. dicit. Ex his tertia videtur conflanda esse emendatio:

Quid? an te pones Veneri iam ientaculo?

iam enim particula, a Bothio restituta, propius accedit ad codd. vestigia quam Weisianum *pro;* nisi quis maluerit *in* legere, cuius prima littera facile absorberi potuit praecedenti *i* in *Veneri*, altera corrumpi in *a;* disiunctio autem vocabulorum *an te pones* necessaria videtur, ut ambiguitas a Palinuro captata nec a Phaedromo ridiculi causa repudiata appareat.

6) In Mil. 3, 3, 62 sqq. postquam Palaestrio dolis cum Periplectomene ad decipiendum militem satis compositis se ad forum abiturum dixit, ut conveniat militem, haec verba leguntur:

Bene ambula, bene rem gere! At ego hoc si efficiam plane,
Ut concubinam militis meus hospes habeat hodie,
Atque hinc Athenas avehat, si hodie hunc dolum dolamus:
Quid tibi ego mittam muneris? Ac. datne ab se mulier operam?
P. Lepidissume et commissume.

in quibus ea, quorum certa emendatio iam ab aliis est proposita, e vulgata h. l. repetere noluimus, velut v. 62. *egone* et v. 64. *abeat;* nec dubitatio esse potest de extremis verbis, quanquam in Pall. legitur *lepidi sum et commissum*, in Lips. *Lepidi sunt et comi sunt*, in Princ. *Lepide sunt et comes sunt*, in quibus postremis duobus iam manifestum emendandi studium deprehendimus; multo magis autem ea librariorum cura, ut quae scriberent, quantum ipsi efficere possent, intelligerentur, in v. 65. apparet, ubi Lips. et Pr. *des ne aliae mulieri operam* exhibent; quae verba quin non repraesentent veram Plauti manum, non dubito. Nam licet facete et commode dicta sint et aptissime cum praecedentibus et sequentibus cohaereant, nec Plautum talem sententiam dicere potuisse negari possit, neque haeream in forma *aliae*, etsi de ea quoque re ambigi potest: tamen invicta remanet difficultas in ordine vocabulorum *des ne* pro *ne des*. Velim probent editores sive Plautum sive quem alium Romanum scriptorem unquam ita dixisse. Ratio postulat ut illud *ne* prohibitivum semper ante verbum suum collocetur; non possumus latine dicere *faciam* sive *fac ne* pro *ne f*. Hac una re mihi tota illa codicis Lips. et ed. pr. lectio cadere videtur. Accedit quod Pall. codd. non discedunt a vulg., nisi quod *si* pro *se* exhibent et in Θs rasura apparet inter *dat* et *ne*. Sed neque vulgata stare poterit; quod enim explicant *ab se* idem esse ac *sua sponte*, id nullo Plautino nec fortasse alius scriptoris exemplo comprobabitur. Interim acquiescendum

puto in Acidalii emendatione *eapse* ea sententia: *nonne suā sponte, nulla muneris promissione, mulier operam dat?* Quanquam fateor nondum omnem mihi de hoc loco exemtum esse scropulum.

7) Aliud exemplum pronominis *eapse* in *ab se* male mutati invenitur in Rud. 2, 5, 21.

Nam haec litterata'st, ab se cantat cuia sit.

etsi h. l. aliqua ratione *ab se* defendi potest, ut sit ex ipsa illa urna cognosci posse, cuius sit, sed dura et coacta est ea explicatio et praestat sequi auctoritatem V. C. in quo *eapse* scribitur, ut sit ex ipsa illa urna litteris inscripta cognosci, eam Veneri esse sacram.

8) Mil. 4, 8, 24 sq. vulgo ita legitur:

capita intér se nimis nexa hice habent.
Nón placet: labra labellis ferruminant. Pl. acre est malum.

ita etiam Pareus, nisi quod *laVellis* scribit; *Δp labram ab lavellis fer ad macellum*, *Θps labram ab lauellis fer inaut ace malum*, L. *labra a labellis firmavit*, Pr. *ferruminavit;* Lind. *labra a labellis férrŭminavit* (sc. Pleusides). *Pl. Acre ést malum.* antepaenultimam in *ferruminavit* correptam putans vi accentus urgente, cuius rei aliquot exempla apud Plautum animadvertisse sibi videtur, ultimas autem duas *avit* in *āt* vel scribendo vel pronunciando contrahendas censet, nisi forte scribendum sit: *férrumĭnat.* Certe singulari opus esse numero et Pleusidem intelligi vel ex eius responsione apparere. Weisius: *Labrā labellis ferruminavit admodum,* qui qua ratione productam ultimam in *Labra* defendat, ipse viderit. Adversus Lindemanni rationem haec videntur monenda esse: etsi vim accentus in corripiendis et producendis syllabis interdum efficacem fuisse cognoscimus, tamen ea arctioribus circumscribenda finibus videtur, quam ab editoribus adhuc factum est; plerumque in fine et initio versuum et in singulis vocabulis eius licentiae exempla inveniuntur, neque in universum Plauto sive ignoratio sive contemptio principum linguae legum iniungi poterit. Neque recte contractio syllabarum *avit* in *āt saepe obvia* a Lindemanno dicitur; eius contractionis exempla perrara sunt. Quod deinde de singularis numeri necessitate disputat, ne id quidem satis certum videtur; nam ex eo, quod Pleusides solus respondet, non necessario sequitur, militem de illo solo in verbo *ferruminavit* cogitasse; multo similius veri est, in militis animo ortam esse aliquam suspicionem, et simulatum esse animi deliquium, neque Pleusidem solum Philocomasio oscula impingere, sed mulierem etiam reddere. Ut igitur antea dixerat: *capita inter se nimis nexa hice habent,* ita debebat pergere: *Non placet: labra labellis ferrumin ant.* Solus autem Pleusides respondet, et quod omnino unus tantum respondere potest et ne Philocomasium respondendo animi deliquium simulatum, non verum esse prodat. Remanet alia etiam difficultas *a* praepositione oblata; admodum enim dubium est, num Plautus *ferruminandi* notionem cum ea coniunxerit. Alia eius verbi exempla apud Plautum non leguntur, nisi forte recte huc pertinet Bothii emendatio Rud. 3, 4, 48 sq. *Ni ófferrumenta exhibebis pluria in tergo tuo, Quam ulla navis lónga clavos,* pro vulg. *Ni offerumentas habebis plures etc.* quod etsi Festi auctoritate nititur, qui haec tradit: *Offerumenta sunt, quae offeruntur,* tamen vitiosum est putandum; nam ipsa derivatio Festi mirabili orta est errore; potius enim debebat a *ferrumine* deducere et dona indicare non quae diis *offeruntur,* sed quae in deorum templis haud dubie *ferrumine adhibito affigebantur.* Neque recte foemininum genus in Rud. loco se habere puto; naturalis

enim origo vocabuli a *ferrumine* iubet nos *ferrumentum*, non *ferrumenta*, gen. *ac*, formare. Eaque notio *ferruminationis* vi quadam effectae loco Rudentis aptissima est. Quae autem apud Plinium inveniuntur exempla primariam proponunt verbi notionem, velut Hist. Nat. 36, 26 extr. *Vitrum sulphuri concoctum ferruminatur in lapidem*, vitrum enim inditur in *medium* lapidem, non *ag*glutinatur summo lapidi. Hoc vero loco *ag*glutinandi notio est tenenda; quam vereor ne non indicaverit Plautus *a* praepositione. Etsi enim Men. 5, 7, 22. dicit *ab humero qui te tenet*, tamen regionem tantum indicat, a quo illud tenere initium capiat, nec diversum est illud exemplum ab aliis eiusdem generis, velut *a tergo*, *a dextra*. Illa vero *ag*glutinandi notio non potest iungi nisi cum *ad* praepositione aut dativo. Itaque necessario dativus *labellis* videtur tuendus; ut tamen numeri serventur, transpositione opus est:

Nón placet: labéllis labra ferrúminant. Pl. acre ést malum.

9) Capt. 2, 3, 11. vulgo corrupto versu ita legitur:

Tute tibi ea tuopte ingenio prodes plurimum.

quod non pertineret ad nostram disputationem, nisi aliquot editores, velut Boxhorn. Brunck, Bosscha, Both. Lind., *a* pro *ea* recepissent; sed vereor ne non recte dici possit *a suo ingenio sibi prodesse*, ubi notio causalis solo ablativo est dicenda. Qui vulgatam tuentur, *ea* explicant *ea ratione*, quod supervacaneum certe est, quum v. seq. ea ratio accuratius proponatur: *Cum servitutem ita fers ut ferri decet.* Quoniam autem sententia necessario haec est: Du nützest dir durch deine eigene Denkungsart am meisten, videtur legendum:

Tu tibi tuopte ingénio prodes plúrimum.

10) Trin. 2, 1, 15 sqq. vulgata haec est lectio:

nam qui ab eo, quod amat,
Quam extemplo saviis sagittatis percussus est, illico res foras
Labitur, liquitur.

in quo loco corruptissimo Hermanni et Lindemanni emendationes sequendas puto, dum meliora fortasse aliunde suppeditata fuerint; certe verba *qui ab eo* ita sunt comparata, ut per sententiam stare non possint. Accedit quod vestigia codicum Pall. aliqua ratione illas emendationes firmant, quanquam non ita, ut omnis dubitatio tollatur; Mss. enim Parei, etiam Θs, *nam qui* (V. C. *quam) ad quod damat;* nec Ambros. palimps. sanus est; exhibet enim *qui amat, quod amat.* Weisius vulgatam retinuit, praeterquam quod *Quam* delendum censuit; quam infeliciter idem versatus sit in constituendis alterius versus numeris, in libello iam supra aliquoties allato ostendi p. 36 sqq.

11) Truc. 4, 3, 71. vulgata quidem lectio

Sex talenta magna a dote demam pro ista inscitia.

non repugnat usui Plautino, ut exempla (p. 15 sq.) congesta ostendunt, sed sequenda tamen videntur codicum vestigia. Legitur autem in *Mss.* Parei *malana dotes d. pro ista scinscitia*, in Θp *istast incicidia*, in Θs *malana detes dem an pro ista st incicidia.* Hinc videtur cum Goell. legendum *magna dotis;* Bothii lectio *malaca dotis* propius quidem accedit ad librorum scripturam, sed non satis aptum videtur ad severitatem senis, utpote quo vocabulo acerbitas quaedam irrisionis manifestaretur.

De usu variarum huius particulae formarum Plautino haec observantur: ante vocales et *h* litteram semper scribitur *ab*, ante *b*, *c*, *f*, *ph*, *g*, *m*, *p*, *v* litteras semper *a*; nonnunquam quidem editores ab hac lege discedunt invitis codd., quod non fecissent, nisi diligenter eiusmodi minutias quaerere infra se positum arbitrarentur; interdum etiam in ipsis codd. inveniuntur, quae reliquae certissimorum exemplorum copiae repugnent, velut *ab me* Pseud. 4, 6, 26. (cf. p. 7. not. 4.). In usum eorum, qui eiusmodi res non contemnunt, adiicientur h. l. exempla ipsa praeter ea, quae ante *m* et *p* litteras reperiuntur, quae ubivis fere obvia sint. Ante *b* igitur haec sunt: *a balineis*, Poen. 5, 2, 16. Pers. 1, 3, 10.; ante *c*: *a Callicle*, Trin. 2, 4, 2. 18. *a caulibus*, Truc. 3, 2, 18. *a cibo*, Curc. 1, 3, 30. *a clientibus*, Trin. 2, 4, 70. *a coena*, Most. 2, 2, 54. *a Congrione*, Aul. 2, 9, 5. *a cornu*, Pers. 2, 5, 16. *a crasso infortunio*, Rud. 3, 5, 53. *a curio inf.*, Pseud. 4, 7, 44. *a culpa*, Poen. 5, 4, 13. ante *f.*: *a fabris*, Most. 1, 2, 50. *a foribus*, Amph. 1, 1, 113. 1, 2, 2. 5. Most. 2, 1, 82. 3, 2, 167. Men. 1, 2, 48. *a foro* saepius, *a fratre*, Aul. 4, 7, 6. *a fundamento*, Rud. 2, 6, 55.; hinc recte haud dubie scribitur Stich. 4, 1, 18. *afueris* pro vulg. *abfueris*, cf. p. 27. not. 3.; ante *ph* bis in nominibus propriis: *a Philolachete*, Most. 4, 3, 19. *a Philocomasio*, Mil. 4, 5, 2. ante *g* unum est exemplum *a genibus*, Rud. 1, 5, 22.; ante *v*: *a vicino*, Mil. 2, 1, 76. *a villico*, Cas. 2, 3, 51. *a viro*, Am. 3, 2, 2. Mil. 4, 8, 11. Merc. 4, 1, 1. Stich. 1, 2, 91. *a vita*, Asin. 3, 3, 17. Bacch. 2, 3, 108. *a vobis*, Amph. pr. 25. 33. 48. Capt. 4, 2, 24. Bacch. 2, 3, 61. Mil. 4, 2, 92. Poen. 3, 6, 10. Rud. 2, 4, 17. *a vostris*, Rud. 1, 2, 1. — Ante reliquas consonantes aut constanter *ab* servatur aut variat usus; ante *i* et *r* semper *ab* scribitur: *ab ianua*, Asin. 2, 4, 18. Most. 1, 1, 8. 2, 2, 80. Men. 1, 2, 18. *ab iustis*, Amph. pr. 34. 35. *ab iuventute*, Poen. 5, 4, 10. *ab radicibus*, Aul. 2, 2, 72. *ab re*, Asin. 1, 3, 71. Capt. 2, 2, 88. Trin. 2, 1, 12. Truc. 1, 1, 26. 2, 6, 40. *ab re divina*, Poen. 1, 2, 193. 3, 3, 4. — Ante *q* litteram semel *abs* legitur Men. 2, 2, 70. *Abs qua*, in reliquis exemplis *a*: *a quadam*, Cist. 4, 2, 70. *a quaestoribus*, Capt. 2, 3, 93. *a quiquam*, Pers. 4, 3, 8. *a quo*, Epid. 1, 2, 40. Rud. 2, 6, 71. sed h. l. Ambros. pal. *Quo ab arr.*; in anastrophe semper *ab* requirebatur, velut Asin. 1, 1, 106. *nec quo ab caveas*, nam ante *c* non scribitur *ab*. Ante *ch* bis *a*, semel *abs* invenitur: *a Charmide*, Trin. 4, 2, 124. *a chorago*, ib. v. 16. *abs chorago*, Pers. 1, 3, 97. — Ante *s* paene constanter *ab* servatur: *ab saeclo*, Mil. 4, 2, 87. (cf. p. 6. not. 1.) *ab saxo*, Rud. pr. 76. 1, 2, 76. *ab se* sive *sese*: Asin. 4, 1, 29. (ubi vulgo *abs*, cf. p. 26. not. 10.). Capt. 3, 1, 10. Epid. 2, 2, 9. Men. 1, 2, 66. 4, 2, 108. 5, 2, 63. Mil. 3, 2, 55. 4, 4, 10. 12. 4, 6, 17. Merc. 1, 1, 55. 2, 1, 19. 2, 3, 22. Stich. 1, 3, 99. Trin. 2, 4, 156. Truc. 4, 3, 78. Propter tantam exemplorum copiam non dubito quin etiam Mil. 4, 6, 62. *ab se* sit restituendum pro vulg. *a se*. — *ab signo*, Rud. 3, 3, 10. *ab simia*, Merc. 2, 1, 25. *ab sodali*, Bacch. 2, 2, 10. *ab stirpe*, Trin. 1, 2, 180. *ab summo*, Asin. 5, 2, 41. Mil. 4, 4, 15. (cf. p. 3. not. 4.) contra *a summo*, Pers. 5, 1, 19. quanquam etiam h. l. *ab* scribendum puto; *ab summis*, Capt. 2, 2, 29. *ab suo*, Bacch. 4, 9, 7. Rud. 4, 3, 100. *ab suis*, Men. 5, 6, 8. unum est in nomine proprio exemplum, quod impugnare non audeo, Epid. 2, 2, 66. *a Stratippocle*. — Promiscue *a* et *ab* ponuntur ante *d*, *l*, *n* litteras: *a datis*, Truc. 2, 1, 30. *a dis*, Rud. pr. 26. Capt. 4, 1, 10. Stich. 2, 1, 24. *ab dis*, Amph. pr. 12. Pers. 5,

1, 21. (ita *Mss.* Parei). *a dextera*, Mil. 3, 1, 13. *ab dextera*, Amph. 1, 1, 89. Asin. 2, 1, 12. *a domo*, Stich. 4, 1, 18. *ab domo*, Aul. 1, 2, 27. Epid. 5, 2, 16. *a dorso*, Cas. 2, 8, 23. *ab damnoso sene*, Epid. 2, 3, 14. *ab danista*, Epid. 1, 1, 51. Most. 3, 4, 14. *ab ab Delphio*, Most. 1, 4, 33. — *a laeva*, Mil. 3, 1, 13. *ab laeva*, Asin. 2, 1, 12. Aul. 4, 3, 1. Cist. 3, 10. Men. 5, 2, 84. *a legione*, Amph. 1, 3, 25. Epid. 2, 2, 22. *ab legione*, Epid. 1, 1, 56. 83. *a lenone*, Curc. 2, 3, 69. Pseud. 1, 2, 69. 2, 4. 64. Poen. 5, 2, 132. Pers. 1, 3, 82. *ab lenone*, Asin. 1, 1, 55. Curc. 4, 2, 8. 5, 2, 16. Epid. 1, 1, 45. Pers. 2, 5, 25. *a labris*, Bacch. 3, 3, 76. *a legibus*, Trin. 4, 3, 26. *a luculenta*, Mil. 4, 1, 12. *a lupis*, Truc. 3, 1, 12. *ab leonino cavo*, Men. 1, 2, 49. *ab libertina*, Mil. 4, 1, 16. *ab lippitudine*, Rud. 3, 2, 18. — *a navi*, Amph. 2, 2, 219. 3, 3, 12. Pers. 4, 3, 61. *ab navi*, Amph. 2, 2, 163. 224. *a nobis*, Cas. 4, 4, 10. 5, 1, 8. Cist. 4, 1, 6. Mil. 2, 3, 68. 2, 6, 44. 5, 29. Merc. 4, 2, 8. 5, 2, 53. Pseud. 2, 2, 23. Trin. 2, 4, 112. Truc. 1, 2, 59. *a nostra*, Mil. 2, 2, 11. *ab nostro*, Rud. 3, 3, 7. *ab nemine*, Mil. 4, 2, 70. — Ante *t* litteram omnes huius praepositionis formae inveniuntur, ita tamen ut *abs* ante *te* pronomen usitatius sit quam *a*, ante *tuus* ter *a*, quater *abs*, *ab* semel tantum ante *tui* sit positum, *a* et *ab* promiscue ante alia vocabula, *a* et *abs* utrumque semel ante *terra*: *a terra*, Pers. 4, 4, 54. *abs terra*, Trin. 4, 2, 105. *a te*, Asin. 2, 3, 7. Curc. 4, 4, 25. Epid. 2, 2, 70. Bacch. 5, 2, 84. (cf. p. 26. not. 3.) Most. 2, 2, 2. Mil. 2, 5, 68. 3, 3, 45. 4, 1, 32. Poen. 4, 2, 62. Pers. 3, 3, 18. *abs te*, Amph. 1, 3, 33. 2, 2, 111. 158. Asin. 1, 3, 74. 2, 1, 6. 3, 3, 124. 4, 1, 20. 27. 5, 1, 9. Aul. 2, 2, 44. 2, 5, 15. 3, 3, 8. 4, 2, 7. Capt. 3, 5, 21. 52. 4, 2, 10. 5, 1, 18. Curc. 1, 3, 18. 3, 58. 5, 2, 21. Cas. 2, 6, 12. Epid. 3, 2, 44. 3, 4, 5. Bacch. 4, 4, 88. 4, 9, 102. 5, 2, 24. 51. Most. 3, 1, 124. 3, 3, 21. 24. Men. 1, 2, 42. 2, 1, 41. 3, 3, 21. 22. 4, 2, 71. 5, 2, 27. 59. Mil. 2, 2, 45. 2, 4, 4. 2, 6, 86. 3, 3, 38. 4, 1, 27. 35. 4, 2, 82. 4, 3, 33. 4, 4, 31. 4, 8, 21. 33. Merc. 1, 2, 3. 3, 4, 26. 4, 4, 41. Pseud. 1, 1, 41. 1, 3, 86. 1, 5, 59. 71. 94. 4, 1, 11. 4, 6, 7. Pers. 1, 1, 51. 2, 1, 3. Rud. 2, 6, 44. 3, 4, 40. 4, 4, 57. 5, 3, 37. Stich. 1, 3, 100. 4, 1, 4. 10. 42. Trin. 2, 2, 44. 2, 4, 19. 87. 3, 2, 69. 5, 2, 19. 20. 43. Truc. 1, 2, 59. 2, 4, 64. 2, 7, 56. *a Telebois*, Amph. 1, 1, 262. *a Tranione*, Most. 4, 3, 20. *a trapezita*, Capt. 2, 3, 89. Curc. 5, 2, 20. *a tua*, Mil. 3, 1, 205. 3, 3, 58. *a tuo*, Men. 5, 1, 23. *abs tuo*, Cas. 2, 2, 36. Pseud. 5, 2, 22. Trin. 2, 2, 2. *abs tuis*, Aul. 2, 2, 44. *ab Theotimo*, Bacch. 2, 3, 92. 4, 6, 7. *ab Therapontigono*, Curc. 3, 38. *ab transenna*, Bacch. 4, 6, 22. *ab tui cupiente*, Mil. 4, 2, 58.

Absque praepositionis usus non videtur h. l. praetereundus esse. Quid sit discriminis inter *absque* et *sine*, satis iam ab aliis (cf. Hand. Turs. I. p. 66—70. Lind. ad Plaut. Capt. ed. mai. p. 70.) est explicatum; constat enim *absque* apud comicos quidem non posse locum habere nisi in sententiis conditionalibus nec inveniri nisi apud comicos et apud argentei, quod vocant, aevi scriptores. Sed id tamen inter utrosque scriptores servatur discrimen, ut comici illa quam modo diximus vi huius praepositionis utantur in sententiis conditiona-

libus, posteriores vero eandem ei tribuant notionem, qua est *praeter* praepositioni. A Camerario uno Plauti loco, Most. 3, 2, 78., *absque* pro *sine* in hunc scriptorem est illatum, sed contra omnes codd.; in eo enim versu vulgo sic scripto:

Subdiu coli absque Sole perpetuum diem.

Δp lacunam repraesentat pro *i absque Sole*, Θps eadem omittit spatio vacuo in fine versus relicto; eadem omittit Lips., *coli absque* Princ.; W. *coli has solere*, quae emendatio probari non potest. Nam ex proxime sequentibus versibus:

Immo edepol vero, cum usque quaque umbra est, tamen
Sol semper hic est usque a mane ad vesperum.

manifesto sequitur in praecedentibus de *sole* sermonem esse eamque re vera sententiam proferri, quam vulgata exhibet. Itaque etiam *solis* vocabulo carere non possumus et fortasse scribendum est recepta Lambini emendatione *sub dio:*

Sub dio coli sine sole perpetuum diem.

Reliqua exempla, de quibus ambigi non potest, haec sunt: *Quod absque hoc esset, qui mihi hoc fecit palam, Usque offrenatum suis me ductarent dolis*, Capt. 3, 5, 96 sq. *Nam absque te esset, ego illum haberem rectum ad ingenium bonum*, Bacch. 3, 3, 8. *Nam absque te esset, hodie nunquam ad solem occasum viverem*, Men. 5, 7, 3. *nam hercle absque me Foret et meo praesidio, hic faceret te prostibilem propediem*, Pers. 5, 2, 55 sq. *nam absque foret te, sat scio in alto Distraxissent*, Trin. 4, 1, 13. *Nam exaedificavisset me ex his aedibus, absque te foret*, ib. 5, 2, 3.